PALMYRAE
SIVE TADMUR URBIS FATA QUAE FUERINT TEMPORE MUSLIMICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE BEROLINENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUBERTUS GRIMME

PADERBORNENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVI.

PRAEMONITUM.

Cum in offfcina typographica nonnullae litterarum formae, quibus exacte litterae quaedam Arabicae transscribi solent, desiderentur, a transscriptione usitata paulum recedens litteris cursivis *h*, *s*, *d*, *t* litteras hâ (sine puncto diacritico), sâd, dâd (cum puncto superiore), tâ imitor; ceteroquin consuetudinem vulgarem secutus sum.

PATRI SUO CARISSIMO

PIETATIS CAUSA.

Caput primum.

Brevis Palmyrae historia ab anno 273 usque ad incursum Arabum.

Cum multi fuerint, qui fata Palmyrae antiqua, quo tempore inter potentes Orientis urbes potentissima exstabat, uberius et pro inscriptionum aliorumque fontium copia penitus tractabant, parva tantum doctorum inquisitione fructi sunt ii anni, quibus post fatalem illam expugnationem urbis splendor evanuerat. [1]) Et paene iure quidem, cum et propter summam fontium penuriam res ingrata videretur, et urbs, quae tam graviter ceciderat, ut eius auctoritas inter urbes orientales minima facta esset, monographia indigna putaretur. At non, ut multi volunt, [2]) Palmyra tum solitaria omnique populo privata fuit, sed prae commodis illis et divitiis Zenobiae aetatis omnes res deteriore erant loco.

Longum de causis ruinae commentarium scribere omitto, cum omnia fere documenta et praecipue inscriptiones [3]) sileant, et pauca tantum leviter signabo.

Familia principum exstirpata cum exercitus urbis dissipatus, murus et templum dirutum, confinium devastatum esset, praeter haec damna statum urbis maxime commutasse videtur, quod ex

---

[1]) Cf. commentariolum G. Flügeli in Ersch-et Gruber: Realencyklopädie; et praecipue explicatio uberior in Ritter: Erdkunde XVII. 1501 ff.; in libro: Neue Beiträge zur Kunde Palmyras auctore Mordtmann (Sitzungsberichte der Akad. d. Wiss. zu München 1875 tom. II.) usque ad expugnationem tantum urbis per Arabes factam agitur.

[2]) Exempl. c. Mommsen: Römische Geschichte t. V. p. 441—42.

[3]) Cf. apud Mordtmann: Neue Beiträge, inscriptio latina de statione Diocletiani et Maximiani Impp. et Constantii Maximianique Caess. in urbe habita (ut videtur, ex anno 297) et Waddington, Inscriptions grecques et latines n. 2629 etiam ex Diocletiani aetate, sed nimis mutilata.

loco pagano Christianus, ex emporio Orientis municipium mercatura fere carens fiebat.

Primae religionis Christianae vestigia ex IV saeculi initio exsistunt. Anno 325 inter episcopos Nicaeae congregatos Marinus Palmyrenus nominatur, e successorum serie duo Johannes noti sunt, quorum prior in protocollo concilii anno 451 Chalcedone habiti et sub litteris quibusdam a. 457 de Proterio martyre ad Leonem imperatorem datis, bis per manum Theodori, Damasci metropolitae, subscripsit,[1]) alter a Justino imperatore simul cum episcopis monophysiticis Johanne de Hewwârîn [2]), Thoma de Jabrûd, Alexandro de Abila sede deiectus et relegatus est a. 518.[3]) Addo Georgium quendam, de quo infra tractabitur. Quare nihil impedit, quominus seriem continuam ad initium imperii Muslemici pertinentem constituamus.

Quae propagatio religionis Christianae, cum cultum Solis, olim Palmyrae tam magnificum, ut ipse Aurelianus numinis laesi iram pertimescens templum dirutum reparare studeret, celeriter opprimeret, ad obliterandam antiquae urbis naturam multum valebat. Templum Solis, quod, ut ex ruderibus cognoscendum est, facile primum Orientis fuerat, quando clausum sit, traditum non est, sed cum Constantino eiusque successoribus regnantibus delubra pagana studiose clauderentur[4]) aut Christianis praeberentur, Palmyrenum certe in fine saeculi quarti Christianorum fuit.

Cum ex celeri religionis Christianae victoria deminutio urbis antea penitus paganae antecedens concludi possit, magis ex illa commercii declinatione potentia tabescens apparet, quoniam mercatorum agendi ratio semper certam rerum mensuram praebet. Via antiqua, qua Palmyrae opes creatae erant, unde oriretur, ex inscriptionibus elucet. A Vologesia[5]) et Karkâ[6]), ubi commutatio

[1]) Le Quien: Oriens Christianus II. 845.

[2]) Cum Assemani urbem Haras tabulae Peutingerianae comparet, satis evidens est, *H*uwwârain ibi significari.

[3]) Locos huc spectantes ap. Assemani: De Monophysitis.

[4]) Templum Heliopolitanum celeberrimum Theodosio imperante Chronico Paschali teste clausum est, a Constantino ex. c. templum Veneris Aphacense.

[5]) Corp. Insc. Graec. ed. Boekh 4489.

[6]) Vogüé: Inscriptions Semitiques I. 6.

mercium Indicarum per mare advectarum fiebat, mercatores praesidiis Palmyrenis defensi praeter Euphratem proficiscebantur. A qua urbe desertum et Tadmur peterent, haud ita liquet; Circesium quidem, ubi etiam via ex interiori Asia ducens excipiebatur, bene situm erat, praesertim cum loca sive praesidia a geographis Palmyrenae addicta Resafa, Oriza alia prope essent. Ubi ad Palmyram ventum est, iter, quod reliquum erat, minus periculosum et molestum erat. Inde in duas partes proficiscebantur, aut per Apamaeam Antiochiam (etiam Tripolim per Emesam saepe petitam esse verisimile est), aut per montes *H*aûrân urbes Palaestinae capessebant.

Sed post expugnationem Palmyrae, cum terra vastata esset, multa praesidia, quae vias munirent, deleta iacerent, putei exhausti essent, securitas illa, qua praeteritis saeculis, dum bella Parthorum et Persarum cum Romanis incepta Syriam septentrionalem turbabant, mercatores in terra Palmyrena usi erant, omnino desiderata est. Itaque, praesertim quod paulo post Romani hostibus repulsis Syriam totam firmo tenebant praesidio, omne fere commercium via perquam antiqua urbes septentrionales Syriae attingente fiebat.[1])

Cum aliae causae multae coniici possint, quare Palmyra tam celeriter omni potentia totoque flore privata sit, certi nihil propter testimoniorum silentium intelligi potest.

Gravem quidem, sed obscuram quaestionem perstringere necessarium est, qua stirpe urbis incolae orti fuerint. Cum inter doctos principalis adhuc lis diiudicata non sit, utrum nomina propria linguae Arabicae potius an Aramaicae addicenda sint, pauca tantum alia addam. Palmyrae varias gentes mixtas fuisse, pro urbe commercio aucta valde verisimile est. Lingua inscriptionum mere paene Aramaica non ita praevalere potuisset, nisi primis civitatis annis incolae gente Aramaica orti urbem tenuissent. Arabes autem, quorum generalis ex Arabia interiore in Syriam terrasque adiacentes emigratio in fine secundi saeculi fiebat, cum satis diu vicini Palmyrenorum fuissent, mature his admistos esse verisimile est. Scriptores Arabici, si ad hanc quaestionem decernendam eos adhibere licet, domum Odenati eiusque populum nun-

[1]) cf. capitis IV initium.

quam Arabes, sed Amalecenses nominant; nihilominus scriptor satis accuratus, el-Bakrî [1]) enarrat, filios Salîh e gente Arabica Qudâ'a equites praefectosque reginae Zenobiae fuisse. Nonne credibile est, exercitus illos magnos, quibus ad tempus Aegyptus et Syria subiecta tenebantur, revera ex incolis deserti Arabicis compositos esse? Cum ex saeculis subsequentibus omnia desint documenta, tempore Muslemico Arabes soli in urbe nominantur.

Notandum videtur, a M. de Vogüé in inscriptionibus nonnulla nomina Iudaica reperta esse. Nec tamen Judaeorum magnum numerum in urbe censedisse putem, quippe cum Tharmudaei, quo nomine in Talmud Palmyreni significari solent, [2]) olim tam male audirent, ut ne proselytae quidem ex iis sumerentur. [3])

Veniamus ad raros nuntios historiam Palmyrae usque ad annum 634 pertinentes. In „Notitia dignitatum imperii Romani" „Palmira" inter urbes Phoenices [4]) numeratur, quae regio terram inter Antilibanum et Palmyram sitam comprehendebat (ultra urbem et ad orientem et septentriones versus Syria erat). Palmyrae igitur legio I Illyricorum collocata erat sub dispositione ducis Phoenices. Quae militum copia, quantam praeter Danabam urbem nulla eius territorii urbs habebat, imperatores summam finis orientalis curam[5]) adhibuisse mihi probare videtur; singularem Palmyrae magni-

---

[1]) Lexicon geographicum auctore el-Bakrî ed. Wüstenfeld. p. 19.

[2]) Hoc nomen non ex falsa lectione ortum, sed apud Judaeos usitatum esse, eo confirmatur, quod Eusebius et Hieronymus *Θερμοώθ* et Thermoth scribant.

[3]) Neubauer: La géographie de Talmoud. Paris, 1868. I. p. 301 f. Hic nomen Tharmud de industria depravatum vult, ut lippitudo incolarum secundum Hillel his addicta verbo significaretur. Suspicatur etiam aliam vim, incursandi nempe, quod Palmyreni toties in finitimorum terram incursavissent.

[4]) Land in commentatione: Aramäische Alphabete aus dem 9ten Jahrhundert (ZDMG XXII. 549) alphabetum quoddam adfert Tadmurenum „sive Phoenicium", quod ut explicetur, in manuscripto additur: Tadmur id est Phoenice Syriae. Quae nomina ignorantia scribae confusa esse censeo, quod illo tempore nomen Phoenice, doctis tantum notum, urbi Arabicae Tadmur additum esse credibile non est.

[5]) Praecipue propter Persarum invasiones, quod etiam Palladius (Vita Chrysostomi p. 194) ubi Palmyra *τὸ τῶν Περσῶν φρούριον*, id est castellum ad defendendos Persas nominatur, significat (apud Uranium contra *φρούριον Συρίας*. Müller: Fragm. hist. IV. 524).

tudinem aut auctoritatem minime ex ea deducam. Sub dispositione autem ducis Thebaidis ala VIII equitum Palmyrenorum et „cuneus equitum secundorum clibaniorum Palmyrenorum“ sub Magistro militum per Orientem erat. [1])

Num Palmyra perturbationibus illius temporis implicata fuerit, a nullo traditur; facta autem graviora cum illa in regione fere nulla acciderent, urbs facile neglecta et ignota fieri poterat. Quapropter Justinianus imperator iam primo regni anno (527 mense Octobri) tum alias termini orientalis urbes, tum Palmyram renovare et reparare constituit. [2]) Quam exigua tum et ignota haec fuerit, ex Procopii verbis elucet: „Urbs est alicubi in Phoenice Paralibanesia, Palmyra vocata, constructa a pristinis hominibus in terra carenti quidem vicinis, sed ad transitum Saracenorum hostium opportuna.“ Justinianus igitur ingentia urbi moenia circumdedit, quae adhuc praecipue ad septentriones et meridiem versus exstant. [3]) Materia architectones, ut opus maturarent, antiquis ruderibus usi esse videntur, ut, si nunc muri eruantur, certe monumentorum pretiosorum copia in lucem proditura sit. Item aquaeductus tum refecti sunt; num remotiores illi, qui olim vel e Antilibani regione fontes ducebant (cf. mappa I ad: Sachau: Reise durch Syrien und Mesopotamien) inter eos fuerint, dubito; ad defendendas munitiones autem militum praesidium in urbe collocatum est.

Theophanes, cuius verba magna ex parte Johannes Malalas repetit, maximam pecuniam, „quantam nullus rex unquam donavit“, ad renovandam urbem datam esse memorat. Nihilominus generalem renovationem non intelligo, quamquam Malalas verba illa dilatans addit: et ecclesias et aedificia publica refecta esse; nam Procopius, testis luculentus, huius memorationem certe omissurus non fuisset. Theophanes quidem ducem Emesenum cum praesidio

---

[1]) Not. Dign. ed. Böcking. Bonn. 1839. p. 85, 76, 27.

[2]) Procopii opera ed. Dindorf, Bonn. 1838. II. lib. II. cap. 11 in fine. — Theophanis Chronographia ed. C. de Boor, Leipzig 1883. p. 174; Malalae Chronographia ed. Dindorf, Bonn. 1831. p. 425.

[3]) Apud Wood: The ruins of Palmyra otherwise Tadmor in the desert 1752. vide in tabulis primis.

Palmyrae stationem habere iussum esse scripsit, ut imperium Romanum sacraque loca defenderet.[1])

Justiniani consilium totum imperium vi murorum et turrium ab hostibus defendendi, cum ultima quidem salutis ratio videretur, Palmyram innumerabilesque alias urbes ab expugnatione servare minime valuit; quin etiam minis magis, quam armis vix centum post annos Arabes eam cepere.

Ultima Palmyrae ex hoc tempore mentio in codice Syriaco perantiquo commentarium Johannis Chrysostomi in evangelium Matthaei continenti[2]) invenitur; cuius voluminis in pagina 107 adnotatio nos docet, esse id coenobii cuiusdam Nâtfa de Zagal a latere Tadmur scriptumque esse impensis abbatis Simeonis et fratrum, aetate episcoporum Jacobi et Theodori, regnante ʾAbu Karib. Qui rex pleniore nomine ʾAbu Karib Nuʿmân VI, unus ex Gassanidis, ab a. 597—600 regnasse videtur.[3]) Plura verba in prima pagina leguntur: volumen exinde coenobii Mose consecrati in monte Rêshâ rabbâ ad orientale latus Nâtfae spectantis, in provincia Damascena, siti impensis abbatis Georgii, episcopi Tadmureni, proprium factum esse[4]). Anno 932 denique hic liber ab abbate Mose Nisibeno bibliothecae monasterii Mariae Deiparae adiectus est. Coenobium primum Nâtfa quamquam adhuc repertum non est, ex situ secundi nuper a viro bene merito Dr. Moritz ab orientali Nebk urbis latere visitati, notius fit; in adnotatione secunda, de cuius quidem tempore nil constat, abbas Georgius nescio an nomen tantum episcopi Tadmur, non munus habuerit. De ambitu dioeceseos Tadmur ex his verbis coniecturam non faciam. Adnotatio tertia ad clarum coenobium Nâtfa prope Zaʿfaranum in regione Mârîdîn, addictum Deiparae et Mâr Theodoro, spectat, quod copiosa bibliotheca gaudebat.[5])

---

[1]) Lacunam verbis Malalae suppleo.

[2]) Wright: Catalogue of the Syriac. manuscr. DLXXXV.

[3]) Secundum Caussin de Perceval: Essay. sur l'hist. II. 245.

[4]) Verba mendis scatent, Nâf*ta* pro Nâtfa semel scriptum est, prius Tudmar pro Tadmur, nisi forte iam tum hoc nomen populari locutioni Tudmur accomodatum est.

[5]) Crebra huius coenobii fit mentio, quod anno 793 ab episcopo Anania Mârîdîno consecratum per multa saecula florebat. cf. Wright: Catalogue XI,

Verba illa „ʾAbu Karib regnante“ opinionem nobis subiiciunt, reges Gassanidas etiam Palmyrenam et fortasse Palmyram urbem ad tempus possedisse sive gubernasse. Huius rei alia quoque habemus argumenta. Auctor Arabicus satis antiquus *H*amza Isfahânî, [1]) quem etiam ʾAbulfidâ exscribit [2]), haec narrat: Post Nuʿmân, fil. el-*H*ârith, ʾAbu Karib, regem el-ʾAiham, fil. Djabalae, fil. el-*H*ârith, fil. ʾAbu Shamir, per 27 annos et 2 menses regnavit. Hic Tadmur possidebat et Qa*s*r Birka et Dhât ʾAnmâr. Abulfidâ secundum nomen per coniecturam Qa*s*r Barqaʿ, quod cum Qa*s*r Burqûʿa ad orientale e*s*-*S*afâ latus situm componam, scribit.

Caput secundum.

Tadmur sub imperio Arabum.

Cum ad id, quod nobis proposuimus, propius accedamus, nempe ut historiam Tadmur, quod nomen vernaculum a scriptoribus orientalibus solum adhibetur, ab initio regni Muslimici describamus, praemonendum est, ne plura ab auctoribus, quos sequimur, poscamus, cum antiqui urbis status rudes, alia religione, aliis moribus ducti novam et recentem Tadmur imaginem pingant. Nonnulla tantum fata veteris urbis e vertice inscitiae conservata, sed fabulose fucata inter eos diffundebantur, quae proprio capite infra tractaturi nunc de iis, quae sub imperio Muslimico urbi accidebant et eveniebant, disseremus.

Post mortem Mu*h*ammadi ʾAbu Bakr, primus khalifa, id agebat, ut consilia prophetae imperfecta de subigenda Syria ad effectum perducerit. Khâlid, filius Saʿîd, primus pristinum terminum ultra Tabûk cum exercitu transiit, incaute autem rem gerens ad Mardj-e*s*-*s*uffar proelium simul et vitam amisit. Itaque ʾAbu Bakr plures cohortes in Palaestinam misit, quattuor ducibus

---

Catalogus codicum manuscript. bibl. Bodleianae scrip. P. Smith p. 248, Slane: Catalogue des manusc. Syriaques de la bibl. Nation. n. 66 etc.

[1]) ed. Gottwaldt. I. 120–21.

[2]) Historia anteislamitica ed. Fleischer 1831. p. 130.

attributas, e quibus Jazîd, filius ʾAbû Sufjân, in Balqâ, Shura*h*bîl, filius *H*asanae, in provinciam el-ʾUrdunn aut ad Bus*r*â invasit, ʾAbû ʿUbaida ad el-Djâbijam, ʿAmr, filius el-ʿA*s*, ad Ghamr el-ʿArabât consedit [1]); omnes igitur circa montes *H*aurân congregati erant. Dum autem Graeci numeroso exercitu ad flumen Jarmûq appropinquant, duces Arabici discordia distenti commune nihil gerebant. Quocirca ʾAbû Bakr Khâlid, filio Walîd, duci ferocissimo, quem gladium a Deo destrictum nominabat, imperavit, ut cum illis se coniungeret. Khâlid, qui modo *H*îra capta bellum Persarum secundo Marte inceperat, summam imperii haud libenter el-Muthannae tradidit ipseque modico exercitu *H*îra profectus est. [2]) El-Belâdhurî ei 800, 500 aut 600 milites attribuit, e*t*-*T*abarî et el-ʾAthîr variis locis etiam 6000, 9000, 10,000 memorant. Ducem autem haud ita parvum secum duxisse exercitum probabile est, cum non minus eius copiae quam virtus imperatoria desiderarentur in *H*aurân. El-Belâdhurî eum mense Rabîʿ-el-âkhir anni 13 (mense Junio 634) castra moventem facit idemque tradit, Khâlid, postquam in Damascenam ad Mardj Râhi*t* venit, Christianos ibi diem paschalem celebrantes deprehendisse; unde ut per decem menses ille desertum pererraverit, sequeretur. Mordtmann, qui huic narrationi assentitur, causam tam diuturni itineris nonnulla deverticula a Belâdhurî relata fuisse putat, de quibus suo loco agemus. Mirum autem videtur, Khâlid, cum ʾAbu Bakr ei id quidem mandasset, ut copiis labore et periculis circumdatis auxilio veniret [3]), tam longum tempus in hoc itinere collocasse. Neque in talem ingressus est viam, qua diu detineretur; nam viam ad Euphratem ducentem multis urbibus et castellis periculosam vitans, desertum sibi sumpsit; si quae urbes [4]) occurrebant, aut capere celeriter conabatur aut, si difficilius videbatur, praeteribat. Profecto, aut Khâlid in hac expeditione segnem potius quam ferocem se praestitit, aut el-Belâdhurî verba aliquid addubitanda sunt.

---

[1]) Tabaristanensis Annales ed. Kosegarten II. 114.

[2]) De his et sequentibus vide el-Belâdhurî: Kitâb el-futû*h* ed. de Goeje. Leyden 111 f.

[3]) et-Tabarî II. 116.

[4]) Si quidem haec loca omnia urbes nominare fas est.

Uberius expeditio Khâlid, filii Walîd, nunc tractanda videtur, quod antiquissimum Palmyrenae statum, in termino quasi duarum aetatum ante oculos demonstratum in ea videmus. Pro fundamento el-Belâdhurî relationem, quae plurima urbium nomina continet, habebimus. Sunt autem haec:

ʿAin-et-tamr, *S*andaudâ, Mu*d*ajja*h*, el-*H*u*s*aid, Qurâqir; post iter quinque dierum per vastitatem susceptum, finitum ad Suwâ, sequitur el-Kawâthil, Karkîsijâ, iterum desertum, ʾAraka (sive ʾArak), Dauma-ed-djandal, Qu*s*am, Tadmur, el-Qarjatain, *H*uwwârain, Mardj Râhi*t*.

ʿAin-et-tamr [1]) vi capta captivorumque multitudo, viri deinde clariores, abducta est. Hanc expugnationem Ibn ʾIs*h*aq [2]) anno 13 attribuit, e*t*-*T*abarî autem, cum sub anno 12 verbosius eam exponat [3]), itineri Khâlid eam non inserit. [4])

Sandaudâ [5]) prope *H*îram sita esse videtur; intra eius muros viri de gentibus Kinda et ʾJjâd nec non Persae congregati erant, qui victi et Saʿd, filio ʿAmr, subiecti sunt. [6])

De Mu*d*ajja*h* urbe discrepantiae auctorum vix coniungendae sunt. Nomen a Jâqût Mu*s*ajja*h* scribitur et explicatur: ultimus Syriae fons, ad quem Khâlid descendit, postquam Suwâ reliquit, in itinere contra Syriam incepto, in exitu duarum vallium situs. Contra e*t*-*T*abarî eam ambigue inter Haurân et el-Qalt ponit. [7]) Huc et in el-*H*u*s*aid homines de gente Taglib confluxisse, deinde captos bonisque spoliatos esse el-Belâdhurî scribit. Atque apud e*t*-*T*abarî iterum sub anno 12 huius rei narrationem reperimus (es-Surrî teste confirmatam), quod eum non impedit, quominus

---

[1]) Jâqût: urbs antiqua in occidentem Kûfae versus, prope el-ʾAnbâr, in margine deserti.

[2]) e*t*-*T*abarî. II. 128.

[3]) II. 62.

[4]) II. 114; etiam el-Belâdhurî relationem adfert, epistolam chalifae duci Khâlid in urbe ʿAin-et-tamr esse redditam.

[5]) Apud e*t*-*T*abarî et el-ʾAthîr *H*adaudâ, quem locum hac quidem regione geographi ignorant, cum *H*adaudâ in territoris ʿUdhra longe absit.

[6]) Additamentum el-Bel.: „inest usque hodie eius progenies" comprobat hunc locum satis diu mansisse notumque fuisse.

[7]) II. 70.

sub anno 13 nomen ipse repetat.[1]) Deinde dux ad Qurâqir et Suwâ transiit, quae sive oppida sive aquandi loca fuere, a nullo fere scriptore omittuntur atque versibus quibusdam, ut videtur, antiquis satis testificatae sunt. Illa ab initio, haec ab exitu lati deserti sita erat.[2]) Ad Qurâqir[3]) igitur, quam gens Kalb tenebat, Khâlid dissentientibus militibus et Râfiʿ ipso ductore invito consilium permetiendae vastitatis cepit. De hoc itinere multae fabulae narrantur, camelos quaternos singulis diebus esse mactatos, ut aquam in ventribus repertam equi biberent; totum exercitum siti paene periturum fuisse, nisi Râfiʿ sub rhamno quodam fontem deprehendisset. Die quinto ad Suwâ[4]) ventum est, ubi viri de Kalb et Bahrâ subito opprimuntur. Khâlid tum flumini Euphrati eiusque viae, cum ad el-Kawâthil[5]) et Qarkîsijâ[6]) pervenisset, prope accesserat; sed statim, ubi huius urbis praefectus cum exercitu eum petivit, in desertum deflexit. Deinde ʾArakam sive ʾArak[7]) cinxit, cuius celeriter deditionem accepit modicas pacis conditiones imponens[8]). Haud igitur ita multa milia a Tadmur urbe distans tantum aberat, ut eam oppugnaret, ut in Dauma-ed-djandal, arcem Christianam ex prophetae Mu*h*ammad historia notam in territorio Arabiae el-Djauf sitam,

---

1) et-*T*ab. II. 114.

2) O. Blau, qui (ZDMG XXIII. 559 ff.) haec loca in Wâdi Sir*h*ân, Suwâ multum a septentrione, Qurâqir a meridie collocat, el-Belâdhurî opinioni repugnare videtur.

3) Apud el-Bakrî: in confinis Syriae.

4) Nescio an *Σαύη* in deserto Arabiae (apud Ptolemaeum) comparare liceat; adnotetur, etiam formam Sawâ, apud poetam quendam reperiri.

5) Non apud el-Bakrî.

6) Anno 19 ab ʾIjâd, filio Ghanm foedere tradita est.

7) Falso Urul apud et-*T*abarî II. 116.

8) ʾAraka, quod oppidum munitum cognoscimus, inter antiqua eius regionis loca ponenda est, quamquam nullo tempore maioris fuisse momenti videtur. Nam huic rei impedimento erat Palmyrae vicinia, a qua urbe secundum tabulam Peutinger. XVIII milibus aberat, si quidem Haras cum ʾAraka comparare licet. Alio loco eam non reperio memoratam. Secundum Pseudo-Wâqidî ibi telonium Graecorum erat patriciusque Graecus stationem habebat. Postea minuta erat nec crebro eius nomen memoratum est. Nihilominus ad hodierum diem conservata est, et Balad ʾArak apud Baedeker-Socin: Reisehandbuch für Palästina und Syrien, ultra Tadmur vicus exiguus nominatur.

invaderet. Hanc itineris declinationem eiusque causas cogitatione sibi fingere, difficile est; iam scriptores Arabici ad hanc traditionem explicandam inanes impetus fecerunt. El-Belâdhurî in capite Dauma-ed-djandal [1]) complures testes componit, qui diversa proferunt. Secundum el-ʿAbbâs, filium Hishâm, ʾUkaidir, rex illius urbis, post mortem prophetae eleemosynam renuntians ad *H*îram profectus erat ibique novam arcem Dauma condiderat [2]). Hanc igitur frater regis ʿUkaidir, Khuraith Muslimis tradebat, posthac autem possessionem recepit. Videtur haec traditio, situ Dauma-ed-djandal remoto offensa libenter alium locum, *H*îrae vicinum, illius loco supponere.

Idem ʿAbbâs alium testem sequens distincte pronuntiat, Khâlid ducem ab Abu Bakr missum Dauma cepisse et ʾUkaidir interfecisse, qui post mortem prophetae ex sua arce egressus iam illuc revenisset; quo facto Khâlid Syriam petisse. El-Wâkidî denique scribit: Cum Khâlid ex ʿJrâq castra moveret, ut Syriam peteret, Dauma-ed-djandal praeteriit; qua urbe expugnata captivos multos fecit. Alios auctores minores omittens certum puto Khâlid bis Dauma-ed-djandal expugnasse, incertum autem, quo anno [3]), a quo loco, qua via eam petiverit, num ʾUkaidir in secunda expugnatione regnaverit et interfectus sit. Neque probo, el-Belâdhurî Khâlid ducem inter ʾArak et Qusam ad Daumae expugnationem discedentem facere, cum via inter urbes illas deserti et regionem ed-Djauf nunquam memoretur; ex *H*îrae aut Kûfae territorio vero hoc iter expedite fieri poterat.

Porro Khâlid ad Qusam progressus esse dicitur, ubi gens Masdjaʿa ben et-Taim ben Namir, una ex gentibus Qu*d*âʿa, in potestatem eius se permittit. De huius oppidi situ a scriptoribus Arabicis certi nihil comperimus; Jâqût cum dicat [4]) eum esse locum prope a Syria in terra el-ʿIrâq, ad quem Khâlid praeteribat, etc.

---

[1]) pag. 61.

[2]) Eidem sententiae ʾA*h*mad, filius Djâbir, in libro expugnationum assentitur (apud Jâqût, sub Dauma-ed-djandal).

[3]) Et-*T*abarî p. 64 ff. sub anno 12 post expugnationem ʿAin-et-tamr satis verbose occupationem Dauma-ed-djandal exponit; qua finita Khalid el-*H*îram revertisse et inde arces a Persis praesidiis munitas aggressum esse scribit.

[4]) sub voce: Qusam.

hoc ex ipsa expeditionis historia suspicatus esse videtur. In el-'Athîr[1]) autem relatione Qusam post el-Qarjatain et *H*uwwârain ponitur et recte quidem, ut putamus. Eodem enim loco apud Ptolemaeum *Κάσαμα* (Tabul. Peuting. Casama, inter Cehere et Adamona sita, Notit. Dign. Casama, ubi equites sagittarii indigenae collocati erant) reperitur, quam parem oppido Qusam ponere non dubito.

Tum quidem secundum el-Belâdhurî Khâlid ad Tadmur urbem pervenit, cuius de traditione legatur infra. Proxima urbs el-Qarjatain[2]) erat, ad quam pugnatum raptumque est. Inde exercitus Arabum ad *H*uwwârain de Sanîr[3]) (monte inter *H*ims et Ba'lbak) venit, cuius cives subsidiis ex urbibus Ba'lbak et Busrâ acceptis frustra ducem Khâlid impedire conabantur, quominus cum quattuor illis imperatoribus se coniungeret Graecosque instructa acie exspectaret.

---

[1]) Chronicon, quod vocatur perfectissimum (el-Qâmil), ed. Tornberg II. 313.

[2]) Hoc nomine quamquam inter antiquas illius regionis urbes nulla vocata est, tamen vetera rudera antiquam originem satis evidenter testificantur. Atque inquisitione Mordtmannii lucide comprobatum est, el-Qarjatain (sive el-Qarjatân), ut nomen ipsum indicat, olim duos fuissi vicos, quorum unus Nazala illa fuit, ubi equites promoti indigenae collocati erant (cf. Waddington: Inscript. 2571 et 2571 a); mendose Tabul. Peuting. scribit Nehala. Locum alterius vici doctus ille invenisse se putat, quamvis nomen eius non investigaverit. Vici illi igitur siti erant media in via, quae a Palmyra Damascum versus ducebat; etiam hodie 2 dierum spatio ab utraque urbe distat el-Qarjatain. Incolas omnes fuisse Christianos Jâqût postero tempore testatur; idem haec addit: el-Q. magnus est vicus in territario *H*ims ad viam deserti situs, inter es-Sukhnam et 'Arak (?). Memoravit 'Abu *Hud*aifa in libro expugnationis Syriae: Profectus est Khâlid, fil. Walîd, a Tadmur ad el-Qarjatain, quod idem est oppidum ac *H*uwwârain. Inter Tadmur et el-Qarjatain 2 dierum distantia est.“ Graviter peccat auctor, cum el-Qarjatain inter es-Sukhnam et 'Arak ponatur, non minus, cum errorem non corrigat, el-Qarjatain aliud tantum nomen pro *H*uwwârain esse.

[3]) Apud Ptolemaeum *Αὐερία* sive *Αὔειρα*, in Tabul. Peut. deest, in Notit. Dignit. Euhari (Euhara? Syriace Chewwârîn), ubi equites scutarii Illyriciani collocati erant. Apud Jâqût locus castellum in territorio *H*ims nominatur. Ibi Jazîd, filius Mu'âwijae, princeps ille ab omnibus Arabibus graviter vituperatus, anno 44 diem obiit. Quae adhuc ex antiquitate relicta sint, rudera nempe basilicae et castelli Romani, legatur apud Sachau: Reise in Syrien und Mesopotamien.

Hic quidem itineris exitus apud Belâdhurî est; apud ʾIbn Wâ*d*i*h* [1]), qui alio fonte usus est, descriptio expeditionis haec fere est: Khâlid primum in castellum ʿAin-et-tamr impetum facit, quod postquam cepit proeliumque cum gente Taghlib commisit, ad el-ʾAnbâr proficiscitur (urbem anno 12 secund. e*t*-*T*abari II. 58 a Khâlid expugnatam), unde per medium desertum ac Tadmur urbem pervenit. Porro ad *H*aurân (melius fortasse *H*uwwârain) progressus proelio cum incolis dimicat.

Itinere Khalid in generali exposito, ea, quae ad Tadmur attinent, accuratius demonstrabimus.

Ubi ab ʾArak, ut putamus, equitum agmen ad Tadmur processit, quae urbs etiam tum caput quasi deserti fuisse videtur, incolae se intra muros receperunt et pro viribus se communiverunt. Videntur ergo tum veteris urbis circuitum totum incoluisse, licet sparsim habitaverint, et quae moenia Justinianus construxerat, ea celeriter reparasse et defendisse. Khâlid cum tam firmum castellum praeterire eum non oporteret, ante portas consedit. Secundum Jâqût [2]), qui de primis Arabum expugnationibus bene adnotare solet, haec minatus esse dicitur, postquam frustra cives ad deditionem vocavit: Per deum, o Tadmureni, si in nubibus abditi essetis, vos assequerer deusque me vobis superiorem faceret. Nisi ergo foedus initis, certe redibo, etsi ex hoc loco discessero; tum urbem vestram introibo, nec priusquam maritos interfecero, liberos captivos reddidero, desistam. Quibus verbis permoti cives cum eo pacificati sunt ea conditione, ut tributum darent. Accuratius el-Belâdhurî narrat, eos in clientelam esse acceptos, quae ratio apud Christianos et Judaeos subiectos usitata erat; porro ut Muslimos apud se assumerent partemque agrorum iis attribuerent ducem esse pactum.

Facile his ex conditionibus cognoscimus, quantum Khâlid ducis interfuerit, ut Tadmur urbem firmiter teneret; hac enim urbe capta etiam viam inter Syriam et el-ʿIrâq ducentem fere expeditam possidebat. Coloniam autem illam Muslimorum omnibus viribus contendisse, ut fidem Mu*h*ammadi nec non nationem

---

[1]) ʾIbn Wâ*dih* Historiae ed. Houtsma II. 149 f.

[2]) Sub voce „Tadmur“.

Arabicam in urbe superiorem faceret, eo comprobatur, quod ex eo tempore nulla vel Christianorum vel Syrorum fit mentio.

Quomodo postero tempore de propagatione Islami sensum quamque placidus dux ferocissimus Khâlid depictus sit, ex hoc capite libri el-Wâqidî [1]) adscripti intelligi potest:

„Traditum mihi est Khâlid pacem fecisse cum civibus ʾArakae de 2000 dirhamis argenteis et 1000 denariis; quo facto litteras pactionis eis scripsit. Nec de loco discessit, donec urbes es-Sukhna [2]) et Tadmur [3]) pactae sunt. Perlatus autem est nuntius civibus Tadmurenis, quibus patricius el-Karkar (Gregorius?) praeerat; qui civibus congregatis: „Nuntiatum mihi est", inquit, „istos Arabes ʾArakam et es-Sukhnam ex conventu cepisse. Quod ad eos attinet, populus noster multa de eorum integritate, iustitia bonitateque morum narrat nulloque modo eos depravationem expetere. Est quidem nobis arx ita inaccessa, ut nemo in eam eniti possit; sed de palmis nostris et segetibus pertimescimus . . . . ." Qua oratione gavisi cives pabulum hospitiumque praeparabant. Et factum est, ubi Khâlid advenit, ut donis eum adirent; quibus acceptis ille cum civibus de 300 unciis [4]) auri et argenti pactus litteras foederis scripsit. Emptis cibariis pabulisque tum in terram *H*aurân abiit.

Rebellionum istarum, quae primis Islâmi temporibus tam crebro exardescebant, Tadmur nullam partem attigisse videtur; relatio tantum dubia [5]) haec refert: Post Damasci occupationem, a Jazîd Di*h*jam, fil. Khalîfae, virum de Kalb, cum equitibus ad Tadmur emissum foedus hic par Damasceno constituisse (scil. ut cives dimidium pecuniae supellectilisque Muslimis cederent tributumque capitis penderent). Non scriptum est, rebellionem

---

[1]) The conquest of Syria commonly adscribed to Al-Wâkidî edited by Nassau Lee, Calcutta. I. 44.

[2]) Es-Sukhnae (Jâq. Sukhna) nomen illo tempore apud scriptores authenticos non inveni, postero autem tempore crebro. Sita erat in confinio ʾArak et ʿUr*d* urbium (Jâq); magnopere eius fontes calidi et balneae praedicantur. Incolae sec. Jâqût Arabes, sec. Ibn Bâ*t*û*t*a magna ex parte Christiani erant.

[3]) Nomen Tadmur delendum censeo.

[4]) Libra Syriaca = 12 unciae (Muqaddasî 182).

[5]) et-*T*abarî II. 168. (nil apud el-Bel.)

praecessisse; quare testem nostrum prioris occupationis inscium per errorem foedus cum Tadmurenis factum in annum 14 fugae contulisse puto.

Tadmur per decennia subsequentia haud levem tenuisse locum verisimile est, cum toties desertum exercitibus Muslimorum impleretur et ingens ex Arabia populorum descensus in terras septentrionales et orientales fieret. Sed nuntiis caremus, et ex tempore demum factionum ʿAlî et Muʿâwijae certaminis, cum in ipso utriusque territorii fine Tadmur sita esset, ut decernere non possimus, a qua parte steterit, eius fit mentio. Inter latrocinia enim anni 39 fugae (659 p. Chr.), quae fere omnia agilitate et temeritate equitum Syrorum Muʿâwijae bene succedebant, hoc etiam apud el-ʾAthîr legitur [1]).

„Itemque Muʿâwija e*d*-*D*a*hh*âk, filium Qais, emisit eique imperavit, ut inferiore Wâqi*s*ae [2]) loco in omnes de factione ʿAlî Arabes, qui praeterirent, invaderet. Cui 3000 militum addidit, qui procedentes bona rapuerunt et ad eth-Thaʿlabijjam [3]) profecti sunt, ubi praesidium ab ʿAlî collocatum interemerunt et compilarunt. Tum ad el-Qu*t*qu*t*ânam [4]) perrexere. Quo comperto ʿAlî *H*udjar, filium ʿAdî, (e gente Kinda: el-Jaʿqûbî) cum 4000 militum eis obviam misit, quorum singulis quinquagenas drachmas dabat. Qui e*d*-*D*a*hh*âk illum ad Tadmur consecutus undeviginti de eius manu interfecit, duos tantum de suis amisit. Nocte interveniente e*d*-*D*a*hh*âk cum suis aufugit et *H*udjar cum sociis rediit.“

Ibn Wâ*dih*, qui idem refert, nomini Tadmur verba adiungit: in provincia *H*ims. [5]) Hanc distributionem iam ad primum Islami tempus quadrare puto, quia *H*ims ea nominatur urbs, cui tota Syria septentrionalis addicta esset, simul etiam ea pars, quae postea provincia Qinnesrîn erat. El-Belâdhurî enim [6]) narrans

---

1) III. 316.

2) In via sacrae migrationis a Qâdisijâ ducente.

3) Eodem in via infra el-Qarʿa.

4) Ad orientem Kûfae spectans, in latere deserti.

5) Item Qudâma ad primam nominis memorationem in itinere Khalîd cf. adnotat. ad. el-Bel. locum.

6) p. 131.

multarum urbium numerum ut *H*amât, Shaizar, Maʿarra *H*ims,[1] Fâmia ab ʾAbu ʿUbaida subiectum esse hoc addit: tum finita erat res Emesena: nam *H*ims et Qinnesrîn erant una provincia.[2]) Cum ordinem temporis posterioris in generali iam tam mature inveniamus, dubitari vix potest, quin etiam Tadmur, quae a geographis fere semper territorio *H*ims attribuitur, illo iam tempore sub *H*ims stetisse.

Anno 65 fugae[3]) Tadmur totam ʾUmajjae familiam intra muros habebat. Forsitan etiam perpetua nonnullorum liberorum huius domus sedes ibi erat, quoniam haec familia desertum solutamque vitam plus amasse notum est, quam tumultum magnarum urbium. Nonne Jezîd, filius Muʿâwijae, urbem exiguam *H*uwwârain, ʿOmar II oppidum Khunâsiram, Hâshim Rusâfam omnibus locis anteferebant? Traditum quoque est,[4]) Abd-er-Ra*h*mân, filium Muʿâwijae, filii Hishâm, qui splendorem ʾUmajjae dynastiae in Hispania renovavit, in montuosa Tadmur regione natum esse.

Anno igitur supra dicto etiam ʿUbaid-ʾAllâh, filius Zijâd, procurator Basrae fugitivus, eodem se contulit et Marwân I khalifam incitasse dicitur, ut et aemulo regni e*d*-*D*a*hh*âq bellum inferret et Fâkhitam, uxorem Jezîd mortui, in matrimonium duceret. Quo facto tota familia ʾUmajjae dextris datis simul etiam populus

---

[1]) Muqaddasî eas omnes Qinnesrîn attribuit.

[2]) Qinnesrîn eiusque districta cum *H*ims coniuncta manebant, donec Jezîd, fil. Muʿâwijae, urbes Qinnesrîn, Antiochiam, Mambidj cum omnibus, quae ad eas pertinebant, propriam provinciam constituit; regnante autem Hârûn-er-Rashîd Qinnesrîn cum districtis suis provincia mansit, Mambidj, Daluk, Ruʿbân Qûrus, ʾAntâkija, Tîzîn urbes el-ʿAwâsim nominatae sunt, id est praesidia ad tutandos fines. (el-Bel. 132). Adnotetur etiam, in tabula publicae censoriae tempore Mahdî aut Hâdî orta (apud Ibn Khaldûn reservata cf. Kremer: Kulturgeschichte d. Orients I. 266) *H*ims nomen omitti, Qinnesrîn nominari, contra apud el-Jâʿqûbî *H*ims tantum inveniri.

Quod ad ceteras Syriae provincias Dimashq, el-ʾUrdunn, Filastîn attinet, cum etiam primis temporibus saepissime nominentur, satis elucet, eas non ab Arabibus institutas, sed conservatas esse. Provincia autem apud Muqaddasi esh-Sharât nominata inter incertos fines quasi fluctuat et ab aliis aliter describitur et nominatur.

[3]) el-ʾAthîr IV. 125.

[4]) el-ʾAthîr VI. sub anno 171

Tadmurenus fidem voverunt, ut mox Marwân magno exercitu contracto contra adversarium bellum inire posset.

Magnos spiritus Tadmureni diebus ultimi e domo ʾUmajjae khalifae Marwân II, filii Muhammad, sumpsisse videntur, cum multitudine civium freti in primis novis rebus studerent, sed nihil nisi iram regis graviaque detrimenta sibi pararent. [1])

Quia incolae Tadmur Kalbitae erant, [1]) quae gens cum *Hims* alias que urbes tum totum fere desertum Syriacum implebat, ut etiam desertum filiorum Kalb nominari soleret, semper partes eius khalifae sequebantur, qui gentes Jemenses gentibus Mu*d*ar praeferebat; Marwân II igitur, qui genti Mu*d*ar favebat, ideo cives Tadmur inimicos habebat, qui cum occasione rebellionis daretur, ad confligendum semper parati erant. Khalifa [2]), postquam pueros Walîd II se defendere praetexens Damascum intravit et simulationis causa nece liberorum sublata libenter fidem familiae ʾUmajjae accepit, prudentiam sequens victo suo aemulo ʾIbrahîm, filio Walîd, eiusque suasori Sulaimân, filio Hishâm, pepercit, quin etiam in familiaritatem eos adegit. Hic autem antea cum fratribus sociisque Tadmur confugerat. Ibi secreto seditionem, cum nunquam quamvis fide data sincerus khalifae amicus esset, conflasse videtur.

Non multo post factum est, ut *Hims*, quae urbs prima fidem khalifae voverat, prima eam violaret. Erant autem tum animi subjectorum tam leves, vera fides tam rara, cupiditates tam celeriter allectae, ut homini factioso partes nunquam deessent. Praecipue *Hims* mutabili animo omnes antestabat, quare mala fama, eam esse stupidorum urbem, fruebatur. [3]) Thâbit igitur, filius Nuʿaim, cum eius cives sollicitasset, statim subsidia Tadmurenorum accessere, viri de Kalb ducibus el-ʾA*s*bagh, filio Dhuwâlae, ipsiusque filiis et Muʿâwija es-Siksikî. Plures ex aliis urbibus cum venissent,

---

[1]) Masʿûdî in „pratis aureis" IV. 68 incolas e Qa*ht*ân ortos scribit, exactius ii Kalbitae nominantur apud el-Jaʿqûbî, Kitâb el-buldân ed. Juynboll 111 et ab historicis pluries.

[2]) Quae sequuntur, vide apud el-Athîr tom V p. 245 ff., cum quo Ibn Khaldûn multis locis ad verbum congruit. (editio Qâhirensis).

[3]) Apud Jâqût sub *Hims*; vide etiam Muqaddasî p. 34.

Thâbit ultimo die mensis Ramad*â*n anni 127 rebellionem incepit. Sed Marwân iam duos post dies cum exercitu aderat urbemque cingebat. Quae esset causa coniurationis, praeconem cives inclamare iubet. Sine mora, cum rationes praetendere non possent, illi submissionem obsequiumque pollicentur. Portis patefactis nihilominus contra ʿAmr, filium Waddhâ*h*, urbem intrantem acriter pugnatum est, sed breve post proelium omnes rebellantes e porta ad Tadmur spectante in apertum erumpunt. Multis occisis tamen el-ʾA*s*bagh filioque Farâfi*s*ae, ut aufugerent, contigit. *H*ims autem graves proditionis poenas multis necatis crucique affixis murique parte diruta dedit. Thâbit postea in Palaestina cum denuo urbes coniuratione implicare studeret, in manus novi praefecti incidit ac crudelibus tormentis e vita decessit.

Tota Syria iam pacata Tadmur sola rebellium continuabat, plus locorum asperitate freta quam potentiae fiducia superbiens. Quapropter Marwân a Dair ʾAjjûb [1]) castris motis celeriter processit, dum ad el-Qas*t*al pervenit. Quamvis Tadmureni obrutis omnibus puteis iter difficillimum fecissent, ut exercitui magna et utrium et camelorum copia opus esset, nihilominus khalifa incepto desistere nolebat, cum el-ʾAbrash, filius Walîd, wazîrus et Sulaimân ille, filius Hisham, intercesserunt et a Marwân impetraverunt, ut per legatos cum civibus Tadmur ageret. El-ʾAbrash in urbem missus ubi incolas adhortatus est, ne nimis resisterent, illi poenitentiam ostendebant obsequiumque iurabant, quamvis quaedam pars verbis diffisa in desertum elaberetur. Ceteri incolae, postquam urbis suae murum frangi viderunt, qui posthac non iam restauratus est, exercitui khalifae adiungebantur.

Haec narratio simplex apud Jâqût diversis fabulis miscetur: Marwân khalifam ipsum in urbe adfuisse et non solum muros destruxisse, sed vel incolas ab equitibus conculcari, ut sanguis cum cerebro mixtus ungulis equorum adhaereret, iussisse.

---

[1]) Jâqût: in monte *H*aurân, in territorio Damasceno; apud Qudâma (Sprenger: Post- u. Reiserouten im Orient p. 7): 7 sikkas (domus stationis) a Damasco sita. — Adnotetur, editionem Ibn Khaldûni Qâhirae impressam mendose hoc loco nomen Tirmi*d* pro Tadmur scribere (Tirmidh aut Tirmid in ripa Djai*h*ûn sita est.)

Khalifa occasionem tum se nactum esse ratus, ut ed-*Dahh*âq opprimeret, Qarqîsijâ se iam contulit, cum repente Sulaimân illum, Rus*â*fae relictum, universae Syriae coniurationem conflasse regnumque sibi vindicasse nuntiatum est. Sed secundo Marte ferocissime ad Khusâf [1]) proelio Marwân pugnavit, ubi 30,000 hostium interierunt [2]). Aemulum postquam usque in regionem *H*ims et ultra persecutus est, hic fugitivus iterum Tadmur petebat ibique aliquantum temporis moratus porro ad ed-*Dahh*âk se contulit. Hunc relatum, quamquam apud el-ʾAthîr alius testis [3]) eum statim in Persida fugientem facit, etiam Theophanes testatur et iure haec anno 128 attribuit.

Certe nova khalifae offensio inulta non mansisset, et Tadmur iram domini lacessiti graviter experta esset, nisi hic eo tempore primo quidem rebellionem ed-*Dahh*âk exstinguere coactus, paulo post ab exercitibus ʿAbbasidarum de Chorasan appropinquantibus propulsus pro vita potius quam pro imperio dimicare debuisset.

Novae dynastiae, a qua ubique restitutio pristini ordinis exspectabatur, vel in Syria sectatores non deerant et proelio ad Zâb flumen commisso populi laeti ubique colorem illum nigrum, id est ʿAbbasidarum, ferebant. Mox autem scelera, quibus es-Saffâ*h* initium imperii contaminavit, Marwân khalifae miserabilis insectatio familiaeque ʾUmajjae exstirpatio, alia, qualis tyrannus regnum teneret, ostendebant. Quare Syria Mesopotamiaeque pars ultimos familiae ramos etiam ad dignitatem pristinam elevare conabantur, atque Tadmur paratissimam se ad defendendos eos, in quos paulo ante hostiliter egerat, praebuit. [4]) Immo vero Sulaimân, urbis amicus, inter necatos illos erat. ʾAbu Mu*h*ammad igitur, filius ʿAbd-Allâh, filii Jazîd, postquam ʾAbu-l-Ward, unus ex amicis praefectisque Marwân, novo khalifae anno 132 obsequium renuntiavit, e Tadmur urbe, latebris suis, exivit multis civium Tadmur et *H*ims urbium milibus sequentibus. Interea ʿAbd-ʾAllâh, filius ʿAlî, avunculus khalifae, rebellione *H*abîb,

[1]) In planitie inter *H*alab et Bâlis, eodem nomine appellata.

[2]) Secundum Theophanem 60,000 (ed. de Boor S. 422).

[3]) In fine capitis.

[4]) el-ʾAthîr. t. V. sub anno 132.

filii Murrae, in *H*aurân montibus occupatus celeriter cum hoc pactus est, ut periculosiori hosti resisteret. Ubi vix ad *H*ims pervenit, a tergo Damasceni procuratorem modo institutum 'Abu Ghânim cum asseclis occidunt; paulo post 'Abu Mu*h*ammad simul cum 'Abu-l-Ward, quorum exercitus iam quadraginta millia militum efficiebat, ʿAbd-el-*S*amad, fratrem ʿAbd-'Allâh, ad Mardj-el-'Akhram devincit. Denuo autem ab ʿAbd-'Allâh eodem loco pugnatum est, et tunc quidem prospere, ut 'Abu-l-Ward interficeretur et 'Abu Mu*h*ammad Tadmur receptaculum repetere cogeretur. Inde postquam in provinciam *H*idjâz aufugit, regnante Man*s*ûr ibi necatus est.

Tadmur igitur urbem ultimam, quae 'Umajjae partibus studuerit, nominare fas est. Centrum quasi et caput decerti fuerat, cuius cives bellatores magis quam mercatores et quamvis satis animosi tamen haud ita fortunati erant. Postero autem tempore, cum mediae Asiae provinciae florere et pollere inciperent, Syria autem negligeretur, Tadmur in ordinem urbium minorum relapsa est. In historia illius aetatis per longum tempus eius nomen desideratur.[1]) Quoties autem *H*ims turbas conciebat, Tadmur ei adiunctam fuisse opinari licet. Solebant enim rebelliones, quantulumcunqūe totam civitatem irritabant, communem consanguineorum coalitionem efficere. Sed de singulis non liquet.[2])

Quarto demum fugae Mu*h*ammadi saeculo, quo tempore bellicosus *H*alab princeps Saif-ed-Daula ad septentrionem versus Graecos forti manu repellebat, nec minorem Badawinis deserti pavorem incutiebat, in quibusdam sodalis et poetae Mutanabbi carminibus statum deserti Tadmureni artificiose et vere depictum videmus.[3])

Iam anno 343 (954 p. Christ.) gentes Kilâb praefectum latrocinio quodam exacerbaverant et ad puteos el-Gabârât et

---

[1]) Apud Theophanem memorantem, qua duritie Abdelas sive 'Abu-l-ʿAbbâs in Christianos invexerit, eundem Aruritas in desertum Palmyrenum relegasse legimus.

[2]) Quam seditionem anno 250 (864) *H*ims contra Mustaʿin excitabat, eam totam gentem Kalb ad arma concitasse el-'Athîr confirmat.

[3]) Duo carmina huc pertinentia vid. apud Dieterici: Mutanabbii carmina p. 559 ff. et 568 ff. (conf. de Sacy: Chrestomathie arabe, 2 edit. vol. II in initio.)

el-Kharârât sub monte Bishr[1]) victi erant. Primam hanc expeditionem generalis in totum desertum incursio et quasi pervestigatio secuta est anno 344. Gentes ʿUqail, Qushair, ʿAdjlân neque non Kaʿb ben Rabîʿa in planitiem ad Salamijjam sitam, Kilâb ben Rabîʿa ad puteum ez-Zarqâ inter Khunâsiram et Sûrijam[2]) ut convenerunt, communi consilio agere constituerunt. Initio nimis neglecti in excursione Marbûʿ, virum de Taghlib, in oppido Zarâʿja ipsum Qinnesrîn urbis praefectum, Sabbâ*h*, filium ʿUmârae, interficiebant. His rebus permotus Saif-ed-Daula ad eorum bellum se praeparavit, sed per undecim dies, primo agmine praemisso, ad *H*alab castris se tenebat, ut latus hostium aptum, in quod irrueret, specularetur (ante diem VI. Kal. Junias usque a. d. VIII. Jd. Jun.) Tum celeriter castris motis ad er-Râmûsam[3]), Tall Mâsi*h*[4]), inde aliquid deflectens ad aquam el-Khijâr[5]) processit, quo nuntiato gentes Kilâb ad obsequium redierunt manibusque praefecti adiuncti sunt; dein ad puteum Bâdijjam[6]) et Salamijjam urbem a rebellantibus relictam ventum est. Arabes copias ad *H*airân[7]) et el-Furqulus[8]) collegere, proelium incepere, mox celerrimae fugae se dedere. Quos insectans Saif-ed-Daula ubi

---

[1]) Jâqût: „el-Bishr, nomen montium, quae ab ʿUr*d* urbe (inter Tadmur el Ru*s*âfam sita) ad flumen Euphratem porriguntur, in provincia Syria a deserti latere. Ibi 4 fodinae sunt, et picis et terrae rubrae tinctoriae et argillae, arenae denique, quae ad fabricandum vitrum in urbe *H*alab in usu est.“ Ex primis verbis clare elucet, cursum montium potius a septentrione ad meridiem versus fuisse, quam, ut in mappa Kiepert. ad Sachau: Reise etc., secundum Euphratem. Nunc dicitur el-Bishrî cf. Sachau 250. In earum regione olim Taghlib consedebant, nunc Anêze habitant.

[2]) Legas ez-Zarâʿja; ez-Zarqâ in via ab *H*alab Tadmur versus, quae est octo dierum, tertio die attigis, quarto autem el-Esrijje id est ez-Zarâʿja. cf. Sachau: Reise etc. 129—30. Plus de ez-Zarâʿa in capite IV.

[3]) Vicus, qui 2 milibus ab *H*alab distat sec. el-Bekrî (Jâqût: 2 parasangis).

[4]) Oppidum in circuitu *H*alab iam ab Imru-ul-Qais memoratum (el-Bekrî).

[5]) Mendose ap. de Sacy el-*h*-wâr.

[6]) Duobus diebus ab *H*alab Salamijjam versus distans.

[7]) Inter Salamijjam et Muʾtafikam. (el-Bekrî.)

[8]) In cap. XXXI Notit. Dignit. qui locus Betproclis memoratur, ubi equites saraceni indigenae collocati erant (inter nomina Calamòna et Thelsea) et situ et nomine simillimus est el-Furqulus nostro; apud recentes viatores

ad el-Gunthur [1]) accessit, dispersos hostes ad Tadmur esse collectos audivit. Itaque aliquantum, ut videtur, ad septentriones retrogressus ad el-Djabât, [2]) porro ad orientem se vertens puteos el-ʿAwîr [3]), Nihjâ [4]), el-Bai*d*am [5]), Ghudar, el-Djifâr attingit, quos omnes humore vacuos invenit. Die XVII. mensis es-*S*afar brevi post lucem cum Tadmur videret, Arabes, quos spes tuti receptaculi fefellerat, erumpunt salutemque fuga petunt. Statim Saif-ed-Daula omnes, qui ad viam ad Samâwam tendentem approperabant, praecipue gentes Mahajja, *H*autha, ʿAmîr ben ʿUkail persequens ita eos disiicit, ut fere omnes in terra arida carenteque aqua perirent, praesertim cum putei Biʾr-ʾAbu-Suʿâda et Luʾluʾa non satis aquae praeberent. Victor ad Tadmur reversus duosque dies ibi moratus (a. d. XVII et XVI Kal. Jul. anni 955) urbes deinceps ʾArak, es-Sukhnam, ʿUr*d*, er-Ru*s*âfam [6]) percurrit Raqqamque venit, ubi submissionem gentis Numair accipit. Ante diem VII Kal. Jul. caput *H*alab introivit.

---

el-Ferklus appellatus ab F. O. von Richter hic putens ab oriente *H*ims ultra el-ʿAwîr visitatus est (ap. Ritter: Geographie s. XVII. 1448). Nuperrime etiam Dr. Moritz viam inter Tadmur et *H*ims permetiens hunc puteum invenit; rudera quidem antiquorum aedificiorum se vidisse nulla affirmat.

1) In regione circam *H*uwwârain patenti (nunc el-Gun*t*ur videtur vocari cf. Mappa ad Sachau: Reise in Syrien und Mesopotamien); el-Bekrî: fluvii alveus inter Salamijjam et *H*ims.

2) De his puteis fere nihil apud geographos memoratur, quippe qui hac tantum expeditione noti sunt.

3) Etiam el-Ghawîr scribitur, sed nullo modo, ut apud de Sacy, ʿUwair legendum est.

4) Mendose apud el-Bekrî sub voce: Râmûsa Fihjâ scriptum est. — De Sacy in Chrestomathia adnotat: Aqua Kalbitarum in via Syriae, quendam auctorem citat: Spectavi in via Damasci inter Ru*s*âfam et Qarjatain, oppidum (balad), ubi multi putei, agri culti, cisternae inveniuntur, fontes autem et rivi nulli; cui nomen est Nihjâ.

5) In carmine eius nominis deminutivum el-Bujai*d*a legitur.

6) ʿUr*d* et er-Ru*s*âfa loca antiqua sunt. Vix dubium est, quin illa urbs eadem sit, quae apud Ptolemaeum *Ὄριζα* (inter *Χόλλη* et *Πλούτεια*), in Notit. Dignit. cap. XXXII. (Syria) Oresa, stativa legionis IV. Scythicae, nominatur. De qua Jâqût ita scribit: „ʿUr*d* est oppidum parvum in deserto Syriae, nunc ad provinciam *H*alab pertinens. Sita est inter Tadmur et er-Ru*s*âfam (el-Hishâmijjam)." Montes el-Bishr supra memoratae ab hac urbe ad Euphratem porriguntur. — Aliter quidem apud el-Dimishqî: (ed. Mehren: Manuel de la

Haec excursio, cuius relationem poeta ex ore praefecti ipsius audiverat, optimum itinerarium nobis praebet, quod de interiore Syriae deserto possidemus, non quo alia et quidem accurata prorsus non exstent, sed quia illa vias has inusitatiores minus respiciunt frequentioresque describunt.

Anno 970, ubi primum Nâ*s*ir ed-Daula, dominus Mau*s*il, a filiis imperio privatus est et perpetuae inter illos rixae oriebantur, per aliquid temporis desertum circa Tadmur patens fortissimo eorum, *H*amdân, refugium erat, dum impetu repentino pristina sua possessione, er-Ra*h*aba, urbe ad Euphratem sita, potitus est;[1]) viam frequentatam inter er-Ra*h*abam et Tadmur duxisse, in capite quarto explicabimus (p. 75).

Bellis Francorum ad liberandam sacram terram susceptis Tadmur nec tacta nec turbata est; nemo Francorum per latum desertum, quod urbem Tadmur omni ex latere ambit, penetravit, ea potissimum causa, quia nunquam aut Damascus aut *H*alab in illorum manus venerat. Inde etiam intelligitur, quare scriptores occidentales nunquam eius mentionem faciant, nisi forte quis

---

cosmographie orient.) „ʿUr*d* urbs magna in margine deserti.“ A recentibus viatoribus non iam reperta est.

De er-Ru*s*âfa (ap. Ptolemaeum *Ρησάφα*, Tab. Peut. Risape, Notit. Dign. c. XXXII. Rosapha, castra equitum promotorum indigenorum) e multis, quae exempl. gr. apud Jâkût narrantur, pauca adferemus. Inter multas eiusdem nominis urbes illa cognomine esh-Shaʾm aut el-Hishâmijja distinguitur. Sita erat in margine deserti, 4 paras. a Raqqa urbe distans et quidem ad occidentem versus. Secundum vulgi opinionem ab Hishâm Khalifa, filio ʾAbd-el-Malik, pestilentia Syriam urente, propter situm saluberrimum condita quaque aestate ab eodem inhabitata est. Non autem Jâqût ignorat, iam Nuʿmân, filium *H*ârith, fil. el-ʾAiham, er-Ru*s*âfae cisternas restaurasse. Spectabatur ibi castellum lapidibus exstructum conspicuum et basilica magna, musivo splendide decorata, cuius conditor Constantinus fuisse dicebatur. Unde auctori nostro elucet, Hishâm nihil nisi renovatoris nomen meruisse. Nonnulla idem de cisternis addit, quae plus 120 cubita quidem profundae tamen malam salsi saporis aquam dabant. Interdum aestate omnino illas exsiccatas esse. el-ʾAsmaʿî parem illam ac Zaurâ (ad Euphratem 4 dies a Ra*h*aba) volebat, sed graviter peccat. Etiam hoc oppidum Dr. Moritz in itinere ann. 1884/85 confecto perscrutatus est et satis bene conservatam invenit, muris ingentibus et turribus nec non ecclesiis, tempore Byzantinorum aedificatis, instructam.

[1]) el-ʾAthîr t. VIII. sub anno 358.

errorem Guilelmi, episcopi Tyri [1]), sequitur, quem Wilken [2]) non perspexit. Saladino enim regnante anno 1176 totus regni christiani equitatus per agros Sidonios praedatum profectus erat. Montes quosdam transgressi ubi in vallem „Baka" venerunt, in urbem validis muris cinctam incidunt, quae speciem pristinae magnitudinis prae se ferebat. Tum „Palmuream" se invenisse docti quidem putabant, quam urbem ex Ulpiano Tyrio noverant. Quod nos probare non possumus, quia situs et nomen, quo illo auctore testante recentiores homines urbem appellabant, „Amegarra" in urbem ʿAin-el-Djarr, locum clarum et secundum ʾAbulfidâm ingentibus ruderibus excellentem (Chalkida antiquorum) bene convenit. Iam C. Ritter hoc perquisivit, praeterquam quod ambigit, utrum Qâmid an ʿAin-el-Djarr fuerit. [3])

Ex priore apud el-ʾAthîr relatione (p. 23) concludi potest, Tadmur ad urbes Euphratensis potius quam Damasceni territorii aut alius Syriae urbis eo tempore adjectam esse. Qui rerum status finitus est, cum anno 514 (1120) ʾAtâbak *T*ugtekîn Damascenus ex convento urbes Tadmur et el-Shakîf accepit. [4]) Levi autem tantum connexu coniunctam illam fuisse eo cognoscimus, quod initio anni 529 (1135) aulicum fugitivum, Iûsuf, filium Fairûz, muris suis excepit, quem Shams el-Mulûk, dominus Damasci, suspectum propter consuetudinem cum matre sua initam ita habebat, ut insidias ei parare conaretur. Qui cum in Tadmur urbe se munisset, princeps postquam in matrem suam ingenti ira exarsit, ab hac muliere de capite pertimescenti necatus esse fertur. [5])

Haud exigui momenti Tadmur tum fuisse videtur, quod anno 531 (1136) ex pacto vel *H*ims, urbe florentissima, permutata est. [6]) Nam cum potentia ʿImâd-ed-Dîn Zankî, domini Mausil, in dies cresceret, et iam *H*amâ, urbs ad Orontem sita, ei oboediret, filii Khîrkhân, qui *H*ims tenebant, anxii Shihâb-ed-Dîn, Damasci

---

[1]) Guilm. Tyrius XXI. 11.
[2]) Geschichte der Kreuzzüge. VI.
[3]) Erdkunde. XVII. 227.
[4]) el-ʾAthîr t. X. sub anno 514.
[5]) el-ʾAthîr t. XI. sub anno 529.
[6]) el-ʾAthîr t. XI. sub anno 531.

principem, adierunt, petentes, ut permutationi illi adnueret. Shihâb-ed-Dîn quidem cum ditiorem quidem sed periculosiorem partem se sumere certo videret, non recusavit, quin morem eis gereret.

Novi autem domini non diu sua possessione utebantur; fac regnarint, quo tempore Benjamin Tudelensis in peregrinatione sua [1]) aedificia tam magnifica, incolas tam bellicosos deprehendit, certe Saladino, cum urbes Syriae deinceps suo imperio subiiceret, mox succubuerunt. Cuius post mortem cum regnum immensum inter propinquos divideretur, Tadmur viro cuidam ex familia ʾAjjubidarum Shîrkûh, filio Mu*h*ammad, filii Shîrkûh, una cum *H*ims et er-Ra*h*aba addicta est [2]) (anno 1193).

Illo tandem saeculo, quo Tatarorum quasi torrens Timur duce totum Orientem inundabat et devastationem omnem modum superantem efficiebat, Syria, ut notum est, ab his praedonibus intacta non mansit. Anno 1401 (mense Mart.-April.) ex stativis ad *H*ims positis legatis suis Mirza Rustem et ʾAbu Bekr nec non Emîris Sulaimân Shâh et Shaikh Nûr-ed-Dîn imperator imperavit, ut cum dextro exercitus cornu ad Tadmur incursantes gentem *D*u-l-Qadr castigarent. Iussi mandato satisfecere 200 000 ovium abducentes; homines autem, qui cum equis camelisque in desertum Arabiae se coniecerant, attingere non poterant. Tatari tum Euphratem petebant; urbibus etiam, quae interpositae erant, detrimentum grave eos intulisse, pro eorum consuetudine satis credibile est.

Fas est, hoc loco historiae Tadmur urbis terminum collocare, quia desolatione et summa impotentia affecta partes suas penitus peregerat ideoque eius memoratio apud scriptores rarissima et valde ieiuna facta est.

---

[1]) Vide caput III.

[2]) ʾAbulfidâ, Historia generalis cap. 40. in appendice ad Bahâ-ed-Dîn: Vita Saladini, ed. Schultensius.

[3]) Histoire de Timur-Bec par Cheref-ed-dîn, traduite par P. de la Croix. 1712 A. III. c. 28.

Caput tertium.

Quid geographi de Tadmur dixerint.

Tadmur urbs [1]) a plurimis geographis Syriae (esh-Shâm) addicta est; el-ʾIstakhrî [2]) et qui hoc loco fere ad verbum cum eo convenit, Ibn *H*auqal, inter terminos Arabiae et Syriae locum ei dant neque in tractanda Syria eam memorant; secundum el-Muqaddasî [3]) in margine deserti, qui ab ʾAila ʿAmmân versus, tum ad territorium Damascenum, inde ad Tadmur Salamijjamque porrigitur, dein per regionem *H*im*s* ad Bâlis flumenque Euphratem pervenit, sita est Inaccurate a scriptore libri Masâlik el-ʾAb*s*âr [4]) in confinio ʿIrâcensi et Syriaco ponitur; nam secundum geographos diligentissimos regio ʿIrâcensis vix ad el-*H*adîtham et er-Ra*h*abam extenditur. ʾAbulfidâ urbem in tabula Arabiae collocat. [5])

Quarto climati, quod a meridie urbibus Bairût, *T*abarijja aliis determinatur, Tadmur attribuebatur, sub $63^1/_4$° (apud Ptolemaeum arabic. 71° 30′) long. et $34^2/_3$° lat. sita. [6]) Nonnullarum

---

[1]) Nomen nunc Tudmur est, sicut medio aevo Abulfidâ teste (Reinaud, traduction II, 95) a plebe pronuntiabatur; Syriace Tadmur (Tudmar ?), apud Judaeos Tharmud, similiter apud Eusebium, Onomasticon, Θερμούθ, apud Hieronymum Tharmud.

[2]) Ed. de Goeje et apud Arnold: Chrestomath. arab. I. 77.

[3]) Ed. de Goeje p. 252.

[4]) Quatremère, Appendice de la traduction de Makrîzî (ex manuscripto huius libri inferiore medii aevi tempore conscripto).

[5]) Apud geographos Syriacos uno loco nomen Tadmur inveni et quidem in opere encyclopaedico: Causa causarum (n. 180 coll. Sachau Berolinensis), quod adscribitur Jacobo Edesseno, sed multis indiciis originem recentiorem prae se fert: quid, quod auctor partes occidentales Europae, Mare Mediterraneum, Graeciam et, quae insulae circumiacent, bene novit, vel non tres, sed quattuor terrae partes, Asiam, Europam, Africam, Amlîqî (Americam) nominat! Hoc in libro loco quodam pone Arabiam et desertum, in quo Arabes (Badawini) habitent, „Tadmur in deserto“, memoratur.

[6]) Ap. Jâqût; adde, quod sec. el-ʾA*t*wâl librum sub 62° long. 34° lat., secund. er-Rasm sub 67° long. 35° lat., secund. Masʿûdî (t. I. pag. 190) sub 34° lat. ponitur.

urbium distantiae hae sunt: a Damasco 59 milia,[1]) a Ra*h*aba 102 mil.,[2]) ab *H*ims et Salamijja circa 3 dies,[3]) ab *H*alab 5 dies (sic)[4]) aberat.

Quod Raqqa et Tadmur sub pari circulo meridiano sita esse videbantur, geometrici Ma'mûn regnante earum distantiam emensi rectum terrae ambitum invenisse se putabant.[5]) Etiam differentiam situs Tadmur et Wamîae ad idem propositum definitam esse 'Ibn Jûnus memorat.[6])

Plurimi scriptores urbem praefecturae *H*ims adiiciunt, Dimashqî autem Damascenae. Hadji Khalfa[7]) narrat, suo tempore, cum olim ad *H*ims pertinuisset, Tadmur proprium habuisse praefectum.

Etiam ex geographis gradum potentiae urbis in annos deminutae concludere possumus, vocabulum apud Muqaddasî, qui in secundo dimidio quarti fugae saeculi vixit, scriptum el-Qa*s*aba, id est caput territorii, comparantes cum „urbe" serioris aetatis scriptorum (el-Bakrî, Jâqût alii) et „parva urbe" 'Abulfidae, auctoris initio saeculi octavi fugae scribentis.

Quod ad diversas urbis descriptiones ab auctoribus Arabicis datas attinet, vix idoneae essent, quibus nos, nisi nostrorum viatorum narrationibus uteremur, lucide urbis imaginem fingere possemus. Pauci enim illorum ex propria cognitione scripserunt; ipse Jâqût, natione Syrus, qui saepius terrae tractus permigraverat, de generali mercatorum via non decessit et ideo ex alio relatu, quae de Tadmur scribit, hausit. Num Muqaddasî urbem spectaverit, ex descriptione perspicuum non est; tamen quod se totum desertum „et ad Jaman et ad Syriam, ad occidentem et orientem versus"[8]) perlustrasse affirmát, Tadmur eum praeter-

---

[1]) Sec. el-'Azîzî apud 'Abulfidâm.

[2]) Sec. el-'Azîzî.

[3]) Sec. 'Abulfidâm.

[4]) Sec. Jâqût. Nunc, si quis hoc iter suscipit, certe 8 dies consumuntur.

[5]) Mas'ûdî A. I. 190 et 'Abulfid. Traduction p. Reinaud I. 273.

[6]) Eodem loco I. 270.

[7]) Djihân Numâ lat. vert. Norrberg, Lund. 1818. II. 333.

[8]) p. 248.

iisse non putamus; inter alios el-Dimishqî, Abulfidâ, ʾAbu ʿUbaida[1]) coram eam vidisse videntur.

Quod ad soli regionisque depictionem attinet, apud ʾAbulfidâm legimus, solum maxima ex parte salsugine opertum esse, palmas autem et oleas ibi provenire, ad quod codex Lugdunensis addit, rivos fluentes, fruges segetesque cerni. In libro Masâlik el-ʾAbsâr vel magnifice praedicatur, splendidos hortos praeclarasque merces inveniri ibi; quae quales fuerint, non video, cum nostro tempore agrorum cultura minima sit, et nihil, praeter quod desertum gignit, sal et kalium ab incolis in urbibus vicinis venumdetur. ʾAbu ʿUbaida flumen quoddam, quo palmaria hortique rigentur, adfert, quod praeter eum alius scriptor nullus novit. Vix dubito, quin ille fontem calidum sulfuratumque designet, qui in valle sepulcrorum ad occidentem versus scaturit.[2]) Cui etiam Ptolemaei illud flumen par idemque videtur, praeterquam quod antiquo tempore arte maiores aquas collectas et ampliorem alveum effectum esse putamus; nam aliter percipi non potest, quare ille auctor inter tot Syriae rivos hunc unum praedicet flumenque vocet.

Nominant scriptores antiqua urbis monumenta moles mirabiles lapidibus exstructas; utinam diligentius has perscripsissent, ut nos, quantum antiqui tum exstitisset, cognoscere possemus! Sed vix haec et illa noscitamus, quod illi terminos technicos, quod ad antiqua attinet, minus bene, quam in aedificiis recentioribus usitabant.

Ingens ille columnarum ordo, urbem antiquam transverse persecans, verbis toties iteratis „exstant aedificia mirabilia super columnis marmoreis exstructa,“ praecipue denotatus videtur; altitudinis mensuraeque designatio semper desideratur, porta arcuata ab initio eminens a nullo describitur. Id quod facile intelligimus, templum Solis magnum nimis conspicuum erat, quam ut omitteretur, praesertim cum Masʿûdî aetate i. e. quarto saeculo fugae totus incolarum numerus intra eius muros vitam degeret et immanius prorsus aedificium toto Oriente vix reperiri posset. Sed

---

[1]) Hoc nomen sec. C. Ritter, Erdkunde XVII. 1506.

[2]) Olim hic fons tanti erat discriminis, ut suum haberet curatorem (Corp. Inscript. Graec. n. 4502). Nomen fontis Ἔφκα eodem loco legitur.

et de hoc minores tantum scriptores, ut ʾAbu ʿUbaida verba faciunt[1]): „Vivit nunc populus," inquit, „in quodam castello (*h*isn) urbis muris circumdato lapideis, in quibus portae duabus valvis lapideis instructae insunt; etiam sacella (aut turres) in urbe ad hunc diem exstant." Murus templi exterior 235 metra longus, 15 metra altus tunc certe melius conservatus nunc a parte septentrionali tantum integer, sed recentioris restaurationis est. Valvae lapideae pro ianua impositae etiam in aliis aedificiis proprie Syriacis inveniuntur; adhuc ex tot una et quidem minor in muri latere exstat. Quod ad sacella illa, non dubito, quin auctor sepulcra tetragona, saepe haud mediocris altitudinis, quae Tadmur aliisque Syriae regionibus propria sunt quibusque tot inscriptiones sepulcrales debemus, lucide significet.

Gymnasium (malʿab), de quo Masʿûdî[2]) in memoratione Tadmur scribit, forsitan templum Solis sit; quid autem templum ad formam coenobii constructum bis ab el-Dimishqî praedicatum fuerit, difficile est dictu.

Laudibus factis de columnis murisque, nec non de aedificiorum materia addit ille: „Inest magnum sacellum[3]), cuius tectum quinque saxis exstructum quattuor muris impositum est, duodena in quadrum cubita habens, septem cubita altum". Si mensurae recte traditae sunt, templum vix magnum nominari poterat, cum praecipue in Tadmur urbe ingentiora aedificia stuporem excitent. Haesito, utrum parvum, quod dicitur, Solis templum ab auctore significatum sit an una ex turribus sepulcralibus. Accurate quidem ad nullum, quale nunc est, aedificium descriptio congruit.

Moenia urbis si memorata reperimus[4]), omnino illa, quae spatium templi Soliṣ amplum cingunt, intelligi debent; nam Justiniani munimenta ex Merwâni tempore, sive quod nimis deleta erant,

---

1) Index ad vitam Saladini ed. Schultensius sub Tadmur.

2) Masʿûdî ed. Barbier de Meynard. A. IV. cap. 68. Gymnasium aut accuratius ludendi locum pro antiquis reliquiis columnis ornatis saepius apud scriptores Arabicos notavi; ex. gr. apud ʾEdrîsî in descriptione Baʿlbak, apud Muqaddasî malʿab Sulaimân in ʿAmmân p. 175, malʿab Sulaimân prope ʾI*st*akhr, „ad modum ludendi locorum Syriae aedificatum" p. 444.

3) Manuel de la cosmograph. etc. trad. Mehren. p. 36 et 40.

4) ʾAbulfidâ, ʾAbu ʿUbaida.

sive quod urbis utilitati non iam serviebant, contemplatorem et descriptorem non habuerunt.

Item castellum[1]), quod nunc summo de monte a septentrione despicit lateribus solidissime constructum fossaque defensum, ut aditum difficilem praebeat, scriptoribus Arabicis plane ignotum est. Quae res nos, ut post Saladini regnum, ex quo numerosae exstant arces, id ponamus, adducit. ʾAbulfidae dictum, Tadmur muros et arcem (qalʿa) habere, nullius momenti est, cum, quamvis verba ipsa ancipitia sint, tamen locutioni ʾAbu ʿUbaida „*ḥ*isn et muri", quibus lucide templum Solis significatur, plane ea respondeant. Speculum mundi *H*adji Khalfae († mense Septemb. 1658) in fine descriptionis Tadmur narrat: quaedam quoque vestigia arcis a Salomone exstructae inveniuntur.[2]) Quod scriptor arcem Salomoni attribuit, clare ostendit, etiam hoc loco templum Solis significari, quia homo Oriente natus aedificium tam recentis structurae, qualem castellum illud praebet, Salomoni non adscripsisset. Nihilominus *H*adji Khalfae aetate arcem iam aedificatam fuisse, sed praesidio vacuum stetisse putamus. Cui opinioni favet persuasio populi Tadmureni, primo a mercatoribus illis Lanoy et Goodyear, qui anno 1691 urbem Europae denuo invenerunt, audita: arcem illam esse opus Drusorum principis Maʿn Oglu et Amurat III regnante exstructam (1574—95). Addit Wood anno 1751, Arabes sibi narrasse, famosi illius Fakhr-ed-Dîn et opus et receptaculum eam fuisse; per quod tempus pater eius in Europa moratus esset.[3]) Errat quidem narratio, quod patrem, non Fakhr-ed-Dîn ipsum in Europa supplicantem facit, certe autem Drusorum et Fakhr-ed-Dîn (sive Maʿn Oglu, sive Ibn Maʿn[4]) mentio et tempus fabulosa non sunt. Uno enim hoc tempore Drusorum res tam potens erat, ut eos quoque Tadmur territorium

---

[1]) Castellum quoddam antiquum nominatum est ap. Palladium: Vita St. Chrysostomi p. 194 domicilium Cyriaci, episcopi Emeseni, ab Arcadio relegati.

[2]) ed. Norrberg, II. 333.

[3]) Vide praefationem ad: „The ruins of Tadmur, otherwise etc."

[4]) Secund. A. von Kremer: Mittel-Syrien u. Damaskus, p. 203, A. de Caraman, Voyage de Homs à Palmyre 1837 (Bull. de la Société de géogr. 1840) p. 336 arci nunc nomen est: Kalʿa-Ibn-Maʿn.

complexos esse credibile sit. Ex primis Maʿnidarum temporibus [1]) id est a sexto saeculo fugae, postquam ex agris *Ḥ*alab in Biqâʿ descenderunt et a Tugtekîn, Damasci principe commoti in regione esh-Shûf consederunt, quietem magis quam expugnationes petiverunt. Nec posthac tempus augendis minoribus dynastiis prosperum erat, cum a potentibus Damasci dominis coercerentur et incursionibus Mongolorum et Timur illius misere conficerentur. Turcico autem tempore, ubi Selîm Syriam occupavit, Maʿn Oglu, dux Drusorum rubrorum, huius favore usus exercitui praefectus est et deinde dominationi suae territoria ad mare sita, litus nempe ab ʾAkkâ Ba*t*rûn tenus, magnam partem Libani, urbem quoque Baʿlbak adiecit. Anno 1583, cum Fakhr-ed-Dîn II patri Qurqmas successit, Maʿnidae fastigium potestatis consecuti sunt. Fakhr-ed-Dîn mente id agitasse, ut Syriam Palaestinamque suae ditioni submitteret, satis constat. Iam priusquam in Italiam confugit, totam Coelesyriam possidebat; post reditum suum (anno 1615) acerrime egit, ut et Damascum et Jerusalem occuparet. Anno 1623 illam quidem urbem simul cum proximo confinio praefecto Turcico eripuit, ab anno 1625 usque 1631 in occupanda ora maritima multum profecerat, cum Murad IV. huic incepto gravius se opposuit. [2])

A quo tempore igitur Fakhr-ed-Dîn el-Biqâʿ vallem possidebat, nullo oppido munito impeditus est, quominus desertum et Tadmur attingeret. Certam autem memorationem cum adhuc non investigaverim, de anno arcis aedificatae coniicere omitto; unum addam, cum et castellum fere incolumem prae se ferat speciem, et apud incolas Tadmurenos memoria rerum Drusarum iam anno 1751 aliquid turbata esset, non diu praesidium in arce collocatum esse videri.

Redeamus iam ad ea, quae scriptores Arabici de urbe dixerunt. Statuas maiore arte perfectas inter reliquias inventas non esse, omnes sciunt, cuius inopiae quasi compensatio lapides sepulcrales

---

[1]) De sequentibus vide Tornberg: Ueber die 2 von Wildenbruch'schen arab. Manuscripte der Gesch. des Libanon. ZDMG. V. 483—505 et Djihân Numâ. II. 316 f.

[2]) cf. Zinkeisen: Geschichte des osmanischen Reiches A. IV.

numerosi imaginibus unius aut plurium mortuorum ectypis ornati inscriptionibusque pretiosi sunt. De horum nonnullis apud scriptores narratiunculae exstant; refert igitur Jâqût,[1]) tradidisse ʾIsmaʿîl, filium Muhammad, filii Khâlid, filii ʿAbd-ʾAllâh, el-Qasrî[2]) haec:

„Aderam, quo tempore Marwân, filius Muhammad, ultimus rex ʿUmajjadarum, muros Tadmur urbis fregit, ut rebellionis poenas repeteret." Omitto hoc loco, quae de eius crudelitate fabulosa narrat, cum supra iam verba citarim.

„In proruendo igitur muro, ubi ad cacumen quoddam ventum est, sublato saxo cella gypso obducta patefacta est, et quidem tam nova, quasi artifex modo eam confecisset. Intra quam in solio (sive feretra) mulier quaedam in dorsum relapsa cernebatur, septuaginta vestimentis induta et septem cincinnis ad compedes pertinentibus excellens; cuius pes praeter digitos cubitalis erat. In quodam cincinno folium auratum repertum est, his verbis impletum: „In tuo, Domine, nomine! Ego Tadmur, filia *H*assân sum. Utinam Deus humilitate eum afficiat, qui hanc cellam intrabit." Tum Marwân statim omnia in pristinum statum restitui iussit nihilque de mundo absumpsit. Sed per Deum! Paucos post dies iam ʿAbd-ʾAllâh, filius ʿAlî, accessit, a quo Marwân interfectus, exercitus disiectus et proscriptus totaque dominatio ʾUmajjadarum exstincta est.

Tota historia nimis fabulam redolet et eo animo confecta videtur, ut miser Marwân khalifae interitus iustus et numinis laesi ira contractus exponeretur. Commenta illa, quibus mutatio dynastiarum excusari solebat, recognoscimus. Numquam Marwân urbem intravit neque tanta immanitate usus est, nec pauci dies, sed complures anni inter illam expeditionem et ruinam domus ʾUmajjae intersunt. Nihilominus nucleus fabulae is esse videtur, in proruendo muro sepulcrum antiquum apertum esse, in quo aut corpus mulieris arte medicatum aut monumentum quoddam sepulcrale inerat ex iis, in quibus saepe feminae ornatu diviti sinuosisque vestimentis indutae exsculptae cernuntur. Quod comites khalifae levi opere

[1]) Sub Tadmur; ex parte congruunt el-Bakrî et el-Qazwînî.

[2]) el-Bakrî: el-Kalbî, cui tradid. esh-Sharqî, qui accep. a Muhammad . . . .

scripturam Palmyrenam legant, simile est interpretationibus hieroglyphicarum saepius [1]) affirmatis. Quod graves autem auctores has fabulas non refutarunt, quamquam historiam illius aetatis non ignorabant, credulitati nimiae fere omnium scriptorum attribuendum est.

Inter alias multas statuas Jâqût, Qazwînî, alii unam praedicant, imaginem duarum virginum brachiis inter se complexarum, [2]) quippe quae inter tot monumenta antiquitatis, quae circum Tadmur asservata sunt, sola poetis Arabicis, quae carminibus celebraretur, digna visa sit. Non quidem maioris pretii sunt illa fragmenta, quae Jâqût potissimum dat, sed quod ex iis praecipue primum non sine fama fuit, [3]) hic tota series subsequatur. Narrat igitur auctor ille:

Praeteribat quondam has virgines ʾAus, filius Thaʿlabae, e gente Taim, praefectus castelli ʾAus in urbe Ba*s*ra; aspectas illas imagines tam pulchras duxit, ut hoc carmen diceret:

1) O ambae filiolae populi Tadmur! enuntiate mihi: nonne piget vos diuturnitatis status?

2) Quoniam non in pulvinaribus, immo in monte durissimo marmoreo consistitis.

3) Quantus igitur numerus noctium, quanta annorum series aetatem vestram transgressa est!

4) Profecto vos cacuminibus filiorum duorum Shamâmi [4]) constantius cursui noctium resistitis. [5])

5) Et si ego mortuus ero, quot equae signatae, graciles, a iuvenibus generosis flexae —

---

[1]) Muqaddasî p. 201.

[2]) Sic ex versu 2 carminis secundi concludo.

[3]) Cf. el-Belâdhurî Kitâb el-futû*h* p. 355.

[4]) Mons in territorio gentis Bâhilae biceps.

[5]) Qui versus sequuntur, soli ap. Jâq. leguntur; ordo eorum impedita et difficilis, similitudo nonnullarum elocutionum cum claris poetis (*T*arafa v. 101, Labîd 23, Zuhair 13, Muʿall ed. Arnold.) notanda; cum imaginibus nostris hi versus prorsus non cohaerent.

6) Latera [1]) earum prae cursandi violentia tremunt et in cruribus lora [2]), quibus soleae adstrictae erant, disscissa sunt — (quot, inquam, equae)

7) 'Descendent cum eis [3]) in locum ignotum, terribilem, parcae aquae, fulva (arena) refertum.

8) Quando sitim expleverint, iterum ascendent et petent montes, macerae, ut ossibus vestitae videantur.

Tradit el-Madâ'inî: Ille 'Aus, fil. Tha'labae, adiens khalifam Jazîd, fil. Mu'âwijae, [4]) hoc carmen recitavit. Tum Jazîd: Macte, inquit, popule 'Irâcensis! In vestra, o Syrii, terra hae imagines cum essent, nemo vestrum eas praedicavit; advena autem 'Irâcensis talia verba cecinit!

Traditum est ab el-*H*asan, filio 'Abu Sar*h*, qui accepit a patre suo: Una cum 'Abu Dulaf in Syriam profectus eram. Cum Tadmur intravissemus, ille his imaginibus aspectis subsistit. Enarrabam ei illud, quod ad 'Aus, filium Tha'labae, attinebat, eiusque carmen recitabam. Tum paululum meditatus ita pronuntiavit:

1) Cur, statuae ambae Tadmurenae, viros doctos nec non amantium turbam tantopere obstupefecistis?

2) Quia longinquitatem temporis perduraverunt neque unquam blandi amplexus eas piguit.

3) Agedum, utinam fatum ea de causa ex arcu adversitatum sagittam expellat easque feriat, ut tandem separentur, [5])

4) Et tempus eas exedat [6]) perpetua sua reditione et tenebrarum lucisque vicibus.

5) Ut docti sciant, non esse ullum nisi Deum, solum et creatorem.

---

[1]) Lego farâi*s*uhâ pro farâi*d*uhâ; verbum in scholio ad *T*arafae Mu'llak. 101 ita explicatur: Farî*s*a est pars carnis, quae infra pectus lateri prope est in inferiore scapulae parte; haec prima intremescit, si hominem aut animal timor incedit.

[2]) Khidâm, plur. nominis khadam, quod plur. de khadama (scholion ad Labîd 23).

[3]) Manus sive turmae, suspicor, intelligendae sunt.

[4]) Hic princeps inter 'Umajjadas propter artium et poesis amorem excellebat.

[5]) Versus nimis contractus et difficilis hunc sensum tandem praebere mihi videtur.

[6]) Lego ut Fleischer: walijublijannahumâ.

Dixit autem Mu*h*ammad, filius el-*H*âdjib, talia:

1) O Tadmur, desiderium quoddam, cui nullum aliud simile est, imagines tuae cordi meo gignunt;
2) Cum de vobis meditor, somnus aufugit, dum alii somniculosi in lectis iacent.
3) Valde admirans dico: Quid eas erexit? Nam diu iam consistunt.
4) Naturane aptae sunt [1]) ad perferenda tempora? Mortales enim talem potestatem attribuere non possunt. [2])
5) Sicut cornua duo coniuncta statum non mutant; pertinaces eas fecit controversia coram iudice. [3])
6) Dies post diem fato iubente praeterit et annus annum sequitur,
7) Sed perseverantia pulchriores eas facit, sicut margaritae ad filum adstrictae venustiores fiunt. [4])
8) Nec tamen tempus omittet fatum divinum in iis exsequi, cum temporis sit natura exstirpandi omnia et perdendi. [5])

'Abu-l-*H*asan el-ʿIdjlî denique ita dixit:

1) Duas circa Tadmur imagines aspicio, quas labor artificis intelligentis et acuti exornavit.
2) Earum venustas oculos permulcet, corda autem hominum adversitatibus earum misericordia moventur."

Haec hactenus; a monumentorum descriptione, quae illo tempore certe multo numerosiora et ampliora quam nunc fuere, praesertim cum terrae tremores illi territorio nullo in saeculo defuerint [6]), ad incolas transeo. Qui qua gente orti fuerint, supra breviter expositum est; religioni Moslimicae eos addictos fuisse ex silentio scriptorum concludo, qui si cui urbi alius erat ritus,

---

[1]) Lego cum Fleischer: 'Amullikatâ.

[2]) Lectionem propono: Jumlikuhu.

[3]) Quod tam diu tempori resistunt, sub imagine hominis coram iudice litigantis et de vita laborantis describitur. Lego: ladâ qâ*d*in khi*s*âmu.

[4]) Series annorum cum serie margaritarum comparatur, multitudo et annorum et margaritarum singulis pulchritudine praeest.

[5]) Lego: jaʿduhumâ bikitâbin dahrun; nomini dahrun notionem: fatum divinum (cf. Freytag) subiicio.

[6]) Unum tremorem terribilem hominibus et aedificiis aequo modo exitiosum (anno 1042) Quatremère in appendice ad Maqrîzî II. 255 notavit.

distincte plerumque id referunt. Sic Ibn Bâṭûṭa urbem vicinam Sukhnam maxima ex parte a Christianis inhabitatam dicit, Jâqût el-Qarjatain proximam ab altero latere urbem christianam vocat; de Tadmur huiusmodi nihil scriptum est. Sed praeter Muslimos etiam alii nominantur, Judaei scilicet. Anno enim 1172, quo incolarum numerum iam valde imminutum ducimus, Benjamin Tudelensis 2000 Judaeos in urbe vixisse testatur, quod cur omnino in dubitationem vocemus, quamvis fortasse numerus imminuendus sit, causam non habemus. Benjamin de his Judaeis notabile quiddam memorat: viros eos fuisse fortissimos, ut qui contra filios ʾEdom et filios ʿArab, qui sub imperio Nûr-ed-Dîn starent, bellum gererent et Ismaeliticos vicinos adiuvarent. Principes eorum appellat Rabbi Jizḥaq Hajawânî (i. e. Graecus), Rabbi Nathan, Rabbi ʿUsîʾel. Primo obtutu Iudaeos illos in el-Ḥidjâz sedentes bellicosos recognoscere videmur, qui in arcibus lapideis regulorum instar dominabantur, donec Muḥammad et ʿOmar khalifa ad septentrionem eos expulerunt, sed hic gravis anachronismus eo tempore esset, quo omnibus locis Judaeos mercatores et opifices reperimus, ex. gr. Antiochiae vitri fabricatores, in monte Drusorum institores et tinctores, Tyri naucleros et vitri illius clari fabricatores et alios aliter occupatos. [1]) Puto igitur, Benjamin factum quoddam recentioris memoriae nobis ignotum designare. Quo enim certamine illi contra Christianos et non quidem Francos sed indigenas [2]) et contra filios ʿArab i. e. Badawinos, qui Nûr-ed-Dîn, principi Damasci et Ḥalab, subiecti erant, pugnaverint, nulla relatione testatum habemus. Quod insuper ad ʾIsmaeliticos attinet, quo nomine apud Benjamin communiter Muslimi significantur, nostro loco incolas finitimarum urbium ʿUrḍ, Ruṣâfae, Raqqae, quae alii dominatui submissae erant, intelligo.

Nec porro Judaeorum in urbe habitantium mentio fit. Neque postea tam numerosos ibi eos fuisse suspicor, quod eo ipso tempore, quo Benjamin peregrinatus est, conditio huius gentis praecipue in territoriis Mesopotamiae et el-ʿIrâq valde florebat.

---

[1]) Vide sub his urbibus ap. Benjamin.

[2]) Absurdum est, quod in adnotatione tom. II editionis Asher verba ad Francos referuntur.

De civium possessione et quaestu parum scimus. Cum, ut infra explicare conabimur, via quaedam mercatorum urbem tangeret, incolis quoque mercaturam cordi fuisse verisimile est. Quod ex tempore quidem inferiore testatum videmus in libro Masâlik el-Ab*s*âr, iam supra citato, sed, quod ad diligentiam attinet, addubitato:[1] . . . Est Tadmur urbs potens . . ., ubi horti magnifici et mercaturae lucrosissimae spectantur. Incolae divites sunt, inter quos mercatores omnes terras permigrantes sunt. Quid? num, si hoc ita se habuit, urbs tantopere imminui, historia carere, in tenebris quasi iacere potuit?

In fine autem saeculi decimi p. Chr. ab el-Mukaddasî statum urbis praecisius circumscriptum habemus. Dicens primo[2]), urbes territorii *H*im*s* ruinosas esse, pretia in iis modica, quae loca in litore sita essent, munita hoc addit: Similiter (puto, ruinose et munite) Tadmur se habet et quasi solium omnium Salomonis urbium est (hoc spectat ad antiquitatis rudera) et princeps[3]) eius regionis urbs, prope a deserto sita, ampla et pulchra.

Doctrina studiaque in hac urbe minus culta esse videntur; nam apud Jâqût, qui vel minimis vicis hunc et illum doctum virum aut magistrum attribuit, nemo Tadmurenus litteris clarus memoratur. Postero tempore procurator Turcicus urbis in „Biographia clarorum virorum saec. XI fugae" praedicatur[4]) et Mu*h*ammad quidam, filius Ma*h*mûd, filius ʿAgae Tadmur, expugnationem Syriae a Pseudo-Wâqidî conscriptam 12000 versibus Turcicis explanavit.[5])

Caput quartum.

De nonnullis deserti Syriaci viis.

In libris Arabum nulla mentio commercii Tadmureni antiqui superest itaque effectum est, ut reliquias urbis excelsas geniis

[1]) Quatremère, Appendice 255.

[2]) pag. 156.

[3]) el-Qa*s*aba.

[4]) Quatremère, Appendice 255.

[5]) Lee: The conquest of Syria, praefatio p. 23.

potius adscriberent, quam ad causas graviores, divitias mercaturamque civium operosorum referrent.

Non invitis Romanis, ut videtur, cum post expeditiones Aureliani mercatores alias vias peterent, Tadmurenam derelinquerent, iter perantiquum Persis victis a septentrione Syriae patebat et deinde rursus florebat. Per Mesopotamiam igitur qui praeter Edessam proficiscebantur, ad Zeugma Euphrate traiecto, Beroeam, Chalcida, Epiphaniam, Emesam, Heliopolim, Damascum attingebant. Hanc fere viam, quia fuit generalis, vehiculum publicum (Barîd) khalifarum tenebat, quod e Bagdâd, aut quocumque loco imperatores sedem habebant, ad occidentem et orientem proveniens provincias ingentis imperii inter se coniungebat. Ibn Khurdâdbah et Qudâma [1]) viam occidentalem, quae in fine saeculi noni initioque saeculi decimi usitate erat, describunt. Omissis aliis graviores stationes nomino: Bagdâd, *H*adîtha, Mausil, Nîsîbîn, Ra'ṡ-el-ʿAin, Raqqa. Traiecto Euphrate ad Kalʿat Nadjm [2]) veniebatur ad Mambidj, *H*alab, *H*amâ, *H*ims, Baʿlbak, Damascum. Index autem saeculi XVI quidam [3]) viam in alterum Antilibani latus transponit, et Qârâ Qastal alias stationes nominat, Euphratisque traiectum ad el-Bîram collocat. Via ergo, ut ita dicam, postalis nullo tempore Tadmur attigit.

Atque adeo nomen Tadmur in optimis itinerariis deest. Hae autem viae et stationes a Raqqa Damascum versus enumerantur:

Raqqa — Rusâfa (8 Fars., Mukaddasî 1/2 dies). Inde secundum Qudâmam duo itinera, quorum unum per terram cultam, alterum per desertum ducebat.

Hoc apud Qudâmam et Khurdâdbah (nec non Muqaddasî) sic describitur:

Rus*â*fa — ez-Zarâʿa [4]), 40 mil. (2 mansiones) — el-Qas*t*al, 36 mil. (2 mans.) — Salamijja, 30 mil. (1 mans.) — *H*ims, 24 mil. (1 mans.)

[1]) Conf. Sprenger: Post- und Reiserouten im Orient. p. 7 etc., cui libro plurima in hoc capite debeo.

[2]) Ut suspicamur.

[3]) Cf. Sprenger, praefatio.

[4]) Ita lectionum discrepantiam solvam (ap. Kh. er-Rarâʿa, Qud. et Muq. ed-Darâʿa, apud el-Belâdhurî in explicatione territorii *H*ims subiectionis p. 31

— Shamsîn, 18 mil. (1 mans.) — Qârâ, 24 aut 22 mil. (1 mans.) — en-Nabk, 16 mil. (1 mans.) — el-Qu*t*aifa, 20 mil. (1 mans.) — Damascus, 24 mil. (1 mans). [1])

Cui haec via molestior videretur, secundum Khurdâdbah longius per *H*alab iter faciebat:

Raqqa — Dausar — traiecto flumine Bâlis — Khusâf [2]) — Nâʿûra [3]) — *H*alab. Alterum apud Qudâmam iter per desertum tendens brevissimum quidem sed naturae difficultatibus et praedonum incursionibus [4]) periculosum sic se habebat:

Rus*â*fa — H.r.ba [5]), cui nomen peculiare Ba*t*lâmijâ (Ptolemaea?) fuisse dicitur, 35 m. Legam *H*urba, cum Orubam tabul. Peutingeri. (42 mil. a Risape distantem) sub hoc nomine conservatam putem. Ptolemaea autem urbs in hac regione nec apud antiquos nec recentes nominatur; nihilominus hoc additamento testatum habemus, urbem inter antiquas habitam esse.

*H*urba — el-ʿUdhaib, 24 mil.; oppidum aut vicus huius nominis alioqui non invenitur; certe puteus quidam parvus erat, quod nomen „Subdulcis" etiam indicat. [6]) el-ʿUdhaib — B.h.ma, 20 mil.; nomen mendose scriptum est; corrigo Nihjâ (litteris Arabicis leviter mutatis), qui puteus et vicus a compluribus scriptoribus memoratur. [7])

---

ez-Zarrâʿa in narratione expeditionis Saif-et-daulae apud de Sacy: Chrest. arabe II. Zaʿrâjâ); parem puto ap. Jâqût ez-Zarâʿa Zufar, prope ad Bâlis in territorio *H*alab sitam, et Seriane antiquam suspicor.

[1]) Itinerarium Antoninianum in via Seriane Scytopolim ducens notat: Seriane ad Salaminiada 32 mil. — ad Emesam 18 mil.; deinde per stationes ab occidentali Antilibani latere sitas via ad Damascum continuatur.

[2]) Tractus terrae inter Bâlis et *H*alab, 15 mil. longus (Jâqût).

[3]) Non apud Jâqût et el-Baqrî; sed notum ex historia rebellionis ʾAbu-l-Ward praefecti anno 132 (el-ʾAthir t. V sub anno 132).

[4]) Teste Muqaddasî vel Raqqam raptores circumvolitabant, nedum stationes medio in deserto sitae tutae essent.

[5]) Non eadem, quae *H*arba ap. el-Bakrî et Jâqût vocatur.

[6]) el-Bakrî locum eius nominis alium (etiam a Mutanabbi in initio carminis de Saif-ed-Daula expeditione nominatum) memorat: est aqua, inquit, inter el-Qâdisijjam et Mughîtham, 4 mil. a Qâdisijja remota (et sec. alios fluvii vallis gentis et-Taim), statio peregrinatorum a Kûfa proficiscentium.

[7]) el-Bakrî sub er-Râmûsa mendose habet Fihjâ. Apud de Sacy: Chrestom. arab. II in adnotatione ad Mutanabbi: Nihjâ, aqua gentis Kalb in

Nihjâ — el-ʿA.r.*s*ain, 20 mil. Ut in adnotatione modo data exposuimus, urbs el-Qarjatain haud multum a Nihjâ distare videtur, unde ad opinionem impellor, fortasse nomen illud mendose scriptum esse pro el-Qarjatain; litterae quoque tales sunt, quae, si puncta diacritica desunt, facile confundantur.

Denique verba Jâqût [1]) respiciantur, el-Qarjatain viae deserti (*t*arîk el-barrijja) adiacere, quae nulla alia nisi illa apud Qudâmam descripta esse potest. Eidem scriptori Jâkût parvam stationem el-Djulaidjil debemus, paulo ultra el-Qarjatain sitam, quae 2 diebus a Damasco aberat; idem autem intervallum saepius inter Damascum et el-Qarjatain fuisse refertur.

El-Qarjatain (?) — Djarûd, 36 mil. Est eadem urbs quae Geroda Itinerarii Antoniniani, hodie etiam florens, quam, qui el-Qarjatain petit, vitare non potest.

Inde ad Damascum via 30 milium erat. Haec via 48 milibus brevior quam ea, quae *H*ims attingebat, desertum ad lineam fere persecat. Parva lineae inclinatione Tadmur quamvis attingi posset, tamen mercatores eam visere omittebant, qua ex re de exiguitate urbis concludi potest.

Nec tamen Tadmur sua via carebat, quae quidem cum urbe Raqqa et Mesopotamia minime cohaerebat. Cursum enim Euphratis quae via sequebatur, ea nonnulla, ut ita dicam, deverticula emittebat, de quibus Muqa*dd*asi in descriptione deserti Arabici verba facit. [2]) Postquam novem vias, a septentrione meridiem versus ducentes, quae praecipue Mekkam Medînamque petebant, enumeravit, tres alias transversas, quae el-ʿIrâk et Syriam coniungebant, adfert. Harum prima, quae a Kûfa ʿAmmân versus ducebat, recta

via Syriae. Citatur quidam: „In itinere Damasci, inter er-Ru*s*âfam et el-Qarjatain, urbem vidi, puteos, agros cultos cisternasque habentem, fontibus et rivis non utentem, cui nomen est Nihjâ". — A Mutanabbi Nihjâ, puteus inter el-ʿAwîr et el-Bai*d*â Tadmur versus memoratur. ʿAwîr puteus quia nobis profectione O. F. von Richter, quam ab *H*ims Tadmur versus instituit, notus est ($1^1/_2$ dieb. ab *H*ims) probabile est, Nihjâm aliquantum ad orientem versus sitam et medio fere in spatio ambarum urbium *H*ims et Tadmur inveniri posse. Ad hunc locum el-Qarjatain prope esse nemo non videt.

[1]) Sub el-Qarjatain.

[2]) Muqadd. p. 249—52.

terminum petebat et exigua loca aut potius puteos attingebat: Kûfa — er-Ruhaima, 12 mil. — en-Na*h*ît, 2 dies — el-Qarâr (?), 2 dies — el-Khanfas, 1 dies — el-Hashijja, 1 dies — el-Ghuraifa, 1 dies — Qurâkir, 1 dies — el-ʾAzraq, 1 dies — ʿAmmân, 1 dies; universe 11 dierum iter. Secunda est via Hît, tertia er-Ra*h*abae, quarum descriptionem propter lacunam desideramus, quam Codex Constantinop. verbis dissimulat: et via Hît ad Damascum ducens est dierum decem, item via er-Ra*h*abae. Quae igitur harum viarum fuerint stationes, apud alios scriptores quaerendum est, et secundam saltem viam verbis Ibn Bâ*t*û*t*ae[1]) (ab anno 703 —777 fugae viventis) restituere possum.[2]) Qui per remotissimas terras Indiam, Sailân, Chinam peregrinatus, postquam navi per fretum Persicum vectus est et Persarum urbes vidit, ad Bagdâd mense Shawwâl anni 748 fug. accessit; quia multo ante vias Mesopotamiae satis perspexerat, viam Euphratensem sibi sumens deinceps eius urbes ʾAnbâr, Hît, *H*adîtham, ʿAnam permigravit easque propter pulchritudinem fertilitatemque agrorum cum florentissimis urbibus Sericis comparat. Inde er-Ra*h*abam profectus, quam pulcherrimam urbem el-ʿIrâk et primam Syriae appellat, es-Sukhnam, urbem pulchram Christianos potissimum incolas habentem fontibusque calidis et balneis praeditam, advenit, porro ad T a d m u r accessit, quam versuum nonnullorum en-Nâbighae poetae[3]) memor ad Salomonem et genios reducit; de urbe recenti, utrum copiosa et nobilis fuerit necne, verba non facit. Inde Damascum, viae finem, petivit.

Habemus viam, quae, licet minores stationes omissae sint, e. c. el-Qarjatain, tamen lacunam Muqa*dd*asî recte et bene explet. Non recentem eam fuisse, id argumentum habemus, quod generaliter cum via, quam Khâlid tenuerat, qui postquam Euphratem attigit,

---

[1]) Priori viae duo forsitan loca, quae in historia expeditionis illius Saif-ed-Daulae memorantur, putei nempe Biʾr-ʾAbu-Suâda, et Luʾluʾa inserenda sunt. Sita erant ad meridiem versus, spatio circa unius diei a Tadmur distantia. — Quam el-*H*arîrî in Maqâma XII viam in Samâwam ducentem describit, cuius finis ad ʿAnam erat, cum via Hît maxima ex parte congruisse videtur. De eius incommodis et difficultatibus satis verbose apud eundem scriptorem agitur.

[2]) Voyages de Batouta, par Defrémery et Sanguinetti, t. IV. p. 314.

[3]) Vide caput subsequens.

praesidium Qarqîsijae [1]) veritus, ab hac urbe deflexit desertumque petivit et ad urbes ʾArak, Tadmur, el-Qarjatain accessit, bene congruit. Nunc etiam intelligimus, quare in partitione regni Saladini er-Ra*h*aba simul et Tadmur cuidam ex cognatis Shîrkûh, filio Mu*h*ammad, filio Sîrkûh, attributa sit, quoniam eidem adiacebant viae. Quod etiam *H*ims eidem addita est, satis comprobat, etiam illuc viam duxisse. Olim quidem, teste Tab. Peutingeriana, ab Apamaea, urbe frequentissima, via quaedam Palmyram versus duxerat, cuius stationes erant Theleda [2]), Occaraba, Centum Putea [3]). Haec via tempore Muslemico, cum Apamaea iam ante Palmyrae destructionem humi iaceret et saeculis subsequentibus omni careret momento, plane evanuerat. Ex Apamaeae autem iactura *H*ims commodum cepisse viamque Tadmurenam arripuisse videtur, quamvis vix dubitari possit, quin antea, ut ex itinere Aureliani toto cum exercitu ab *H*ims Tadmur versus confecto elucet, et quia linea rectissima, qua merces Palmyrenae mare attingere possent, urbs sita erat, via prorsus non fuerit. Etiam postea, cum Tadmur, caput quidem deserti, territorio *H*ims adiecta erat eiusdemque gentis homines utriusque urbis muros impleverant, num per tot saecula sine via societas et commercium tam vigens permanere potuit? Stationes autem cum apud geographos non memorentur, permittatur illos puteos aut vicos apud Mutanabbi repertos [4]) repetere: el-ʿAwîr, Nihjâm, locum illum etiam „viae deserti“ adiacentem, el-Bai*d*âm, Ghudar, el-Djifâr, quorum plures certe inter desideratas illas stationes ponendi sunt. [5])

Deinde si perscrutamur, quanam via Benjamin Tudelensis pro-

[1]) Ad flumen Khâbûr sita, 6 paras. ab er-Ra*h*aba distans, in triangulo a flumine Euphrate Khâbûr excipiente effecto. (Jâq.)

[2]) De prima aliquid adiicere possum: Assemani, de Monophysitis, Coenobium Thelʾedâ affert regionique Antiochenae id attribuit, quod potius ad antiquam Theledam referam. Eusebius et Ammionius id coenobium condiderant, teste Theodoreto. Tum monachi ineunte saeculo VI doctrinae Monophysitarum favebant. Eodem loco Bar-Hebraeo teste Jacobus Edessenus novennio moratus Veteris Testamenti libros emendavit. Abest, ut mappa Kiepertiana testatur, paulum a Salamijja et ad orientem quidem versus.

[3]) *Πλούτεα* apud Ptolemaeum eundum locum esse credibile est.

[4]) Vide caput II.

[5]) Etiam el-Furkulus huius seriei inserendus est, cf. cap. II; el-Bai*d*â puteus, quem in mappa a Kiepert depicta signatum video, vir clarissimus

fectus sit, cum Tadmur visitaret eamque relinqueret, propter relationem mancam paene in tenebris versamur. A Baʿlbak enim urbe, cuius reliquiae maximum eius stuporem excitant, repente ad descriptionem Tadmur transsilit: Item, inquit, magnis e lapidibus exstructa est Tadmur. Praeter consuetudinem stationes interpositas afferre omittit et paulo post hoc tantum addit, totam viam esse quattuor dierum. Antilibano autem transiecto eum ad Qârâ [1]) in desertum se convertisse, el-Qarjatain attigisse verisimile est, cuius mentionem, ut de Baʿlbak et Tadmur uno quasi spiritu ageret, in reditum suum reservat. Revera tunc el-Qarjatain memorat eamque dimidium diem a Tadmur distantem scribit, quod satis falsum est, cum intervallum 2 dierum inter eas intersit. Inde *H*amâ versus iter unius diei se fecisse confirmat, in quo magis etiam errat, quam supra, quia certe tres dies in hac via consumuntur. Prorsus hunc locum deperditum et lacunosum censeo, praesertim cum, qua Benjamin fuit cognoscendi industria, intelligi non possit, quare urbes florentes *H*ims et Salamijjam [2]) non visitaverit. Harum igitur descriptionem in lacuna suspicor; qua finita recte haec verba addidit: et inde *H*amâ versus unius diei iter est.

Praeter ambas vias et er-Ra*h*abae et *H*ims, Tadmur attingentes, minores etiam raro apud scriptores inveniuntur. Ibn ʾAjâs in Historia Aegypti [2]) viam *H*alwija prope Tadmur memorat, quibus ex verbis, cum nimis brevia sint, nihil coniici potest.

Porro cum, ut initio capitis III narravimus, apud complures auctores nonnullarum urbium distantiae traditae sint ex. gr., praeter Damascum, Ra*h*abam et *H*ims, etiam Salamijjae et *H*alab, hac re adducti coniunctionem quandam, sive viam perpetuam et praeparatam sive, si occasio esset, quodammodo habilem coniicere fortasse possumus, quamvis propter nuntiorum inopiam haec vestigia persequi non audeamus.

Ed. Sachau in itinere Syriae, ubi situs esset, ab indigenis ipsis exquirere non poterat. Secundum eundem tres hae stationes: el-Fîr, el-Ferqlus, ʾAbu-l-Fawâris inter *H*ims et Tadmur notae nunc sunt.

[1]) Eadem via Wood a Tadmur Baʿlbak versus profectus est, de quo vid. praefationem libri: The ruins of Baʿlbak.

[2]) Quatremère, Appendice 255.

Caput quintum.

De fabulis Arabum ad Tadmur urbem pertinentibus.

Restat, ut pauca de fabulis, quae apud Arabes de pristino Tadmur statu eiusdemque reliquiis circumferebantur, agamus. Cum nostris quoque viatoribus monumenta Tadmur antiqua maximae sint admirationi, quanto plus homines in Oriente natos incitari putamus, ut narratiunculis variis fabulisque ea circumfundant. Praecipue quaestio usque animos subibat, a quonam urbs condita esset. Atque a plurimis scriptoribus traditum est, regem Sulaimân (Salomonem) geniis auxiliantibus eius fundamenta iecisse. Ab antiquissima Arabum aetate usque in saecula recentia haec narratio divulgata est. Nâbigha ed-Dhubjânî, poeta celeberrimus († 604), qui in aula regum *H*îrae praecipue Nuʿmân, filii Mun*d*ir floruit, in carmine excellenti, ut potestatem et dignitatem protectoris sui praedicaret, his verbis eum super omnes tollit. (Par est, inquit,) „ne Salomo quidem, cui deus dixit: Creaturis praesta easque prohibe, quominus ordinis terminos disrumpant.

Submitte potestati tuae genios, quibus iam imperavi, ut Tadmur ex saxis quadratis et columnis exstruant. [1])“

Multa alia eius narrationis testimonia omittens [2]) id tantum addo, cum Wood anno 1751 in Tadmur urbe commoraretur, populum singula aedificia ad eundem regem retulisse certumque eorum usum se nosse dixisse.

Quod Salomo urbem condiderit, loco Chronicon libri II cap. VIII. v. 4 niti satis notum est: Et (Salomo) Thadmor in

[1]) Noeldeke (Beiträge z. Kenntniss der Poes. p. XI) versus subditicios censet varia lectione „'illâ“ usus, qua significatio exsistit: Nemo te excellentior est praeter Salomonem. Lectionem autem „walâ“ locum rectificasse puto, quam Ahlwardt proposuit; hac enim summae blantitiae in regem conferuntur. Pro „imperavi“ habet Ahlw. „permisi“.

[2]) Ex. gr. el-Bakrî, el-Jaʿqûbî alii; quae verba in ieiuno Zamakhsharî lexicó geographico ad Tadmur nomen adduntur: urbs sacrarii originem a Sulaimân ductam significare videntur.

deserto aedificavit et omnes urbes promptuariorum, quas in *H*amâth condidit. Qui locus pendet ex altero Regum libri I cap. IX „Et aedificavit.... Baʿlath et Tham-r in deserto in terra“, [1]) ubi Qerî tantum lectionem Thadmor praebet. In versione Aramaiça sive Thargum etiam loco priore Thadmor nomen invenitur. Discrepantia locorum Thamar et Thadmor cum a Judaeis omnino non admissa sit, Rashi interpres rationes, quibus varia lectio orta sit, subtiliter profert. Quia Tharmudaei, inquit, Judaeorum hostes adiuverunt animoque se quasi permutaverunt et ad malum se converterunt, quamvis fas esset, eos Israel gratias agere pro beneficiis, in libro Regum secundo Thamar, id est conversio (a radice iamar) scriptum est. Altero autem loco Salomonis eiusque maiestatis causa Thadmor, id est urbs honorata [2]), legitur, cum honorificum regi potenti non fuisset, urbem rebellantem aedificasse.

Ut alias quoque narratiunculas Salomonis personam perstringentes [3]) hanc Arabes a Judaeis receperunt fabulisque aliis commiscuerunt. Kuranus deinde fabulis in suris 34 et 38 explanatis personam Salomonis mythicam ita reddidit, ut exinde Muslimi non dubitarent praeter monumenta Tadmurena etiam templa Baʿlbak et ʾIs*t*akhr (Persepolis), arcem el-Qarja in Jemâma [4]) pyramides, balnea *T*abarijjae, omnes fere antiquitatis reliquias ingentes et conspicuas ad regem illum Judaeorum et genios referre, itaque diligentiore de eorum origine inquisitione levi opera supersederent.

El-Dimishqî autem Tadmur originem longius promovet, cum gentem ʿAd primitus eam possedisse, monumentis autem Salomonis aetate ornatam esse urbem scribat. Haec opinio, [5]) cum altera

---

[1]) Eo facilius etiam Judaei posterioris temporis per errorem Baʿlath cum Baʿlbak (Heliopolis) confundebant (cf. Benjamin Tudelensis).

[2]) Derivatio haud contemnenda est, quae fere congruit cum viri celeberrimi Sachau opinione, Tadmur idem esse ac tedmurtâ, id est miraculum.

[3]) Praecipue huc spectat fabula potentiae in genios eiusque caput Ashmedâî sive Shamdôn exercitatae (cf. Thargum ad Coheleth).

[4]) Apud Jâqût.

[5]) Vel Ibn Khaldûn (sec. Masʿûdî) refert, regnum regis ʿAditici Shaddâd per magnam partem Syriae, Indiae, el-ʿIrâq pertinuisse, quod satis falsum est.

cohaerere videtur, quam Jâqût affert:[1]) Putant incolae, inquit, monumenta tanto plus aetatem Salomonis superare, quantum inter ipsos et hunc regem intervallum esset; quod Jâqût quodammodo probat addens: profecto, cum homines mirandum aspiciunt monumentum, Salomoni id geniisque attribuunt. Testimonium ipsorum incolarum nullius momenti habendum esse elucet, nec nisi inanem gloriationem fuisse, qua peregrinos obstupefacerent.

Exstat etiam apud el-Bakrî[2]) fabula, quam ex traditione ʾA*h*mad, filii Mu*h*ammad, el-Hamdânî profert, urbem a nomine Tadmur, filiae *H*assân, filii ʾUdhainae, antequam Salomo hic habitaret, denominatam esse; cuius etiam sepulcrum ibi exstare; quod autem idem testis affirmat, hanc feminam esse reginam ez-Zabbâm eamque igitur ante Salomonis aetatem vixisse, absurdum est et, quam parvi momenti traditio illius viri habenda sit, docet.

El-ʾAthîr[3]) autem sepulcrum alius reginae, Balqîs nempe, a Salomone in Tadmur urbe constructum esse vult; id quod studium hominum in Oriente ortorum ridiculosum, cui severiores auctores[4]) frustra obluctantur, sepulcra personarum in Bibliis et Qurʾâno memoratarum investigandi lucide ostendit.

De alia fabula ad Salomonem pertinenti Masʿûdî[5]) scribit, qui, postquam descriptionem templi sacri ignis Persepoli aedificati ad finem perduxit, haec addit: „Salomo ad Baʿlbak in territorio Shaʾm (Syria) mane, vespere autem in hoc sacrario morari solebat; ex itinere autem ad Tadmur et gymnasium, quod ibi est, devertebat.

Sed satis de Salomone; graviora tractemus et inquiramus, quae de pristina Palmyrae potentia regnantibus Odenato et Zenobia ruinaque imperii repentina in hominum memoria remanserint. Quae omnia in unam ez-Zabbae[6]) fabulam coartata sunt,

---

[1]) Sub: Tadmur.

[2]) Sub: Tadmur.

[3]) I. pag. 122.

[4]) ex. gr. Muqaddasî pag. 36.

[5]) ed. Barbier de Meynard t. IV. cap. 68.

[6]) Ez-Zabbâ nomen a Zenobia haud differre notum est; quin etiam rectius est, cum in inscriptione Palmyrena (apud Vogüé I. 29) huic reginae nomen Septimia Bath Zabbaj additum sit; Arabes suam etymologiam adhibentes nomen interpretati sunt „hirsuta“.

cuius omnes fere historiarum scriptores mentionem faciunt. Auctores Arabici narrant, pluribus poetarum versibus has res descriptas fuisse;[1]) nobis quamvis haud multi supersint, tamen momenta fabulae principalia bene cognoscuntur. Primo loco ʿAdî, filius Zaid[2]), nominetur, qui teste Jâqût, Masʿûdî, Kitâb-el-ʾAghânî longo carmine res ad ez-Zabbâm et Djadhîmam nec non Qasîr pertinentes explicuerat. Huius carminis 4 aut 5 versus citari solent[3]):

1) Age, o homo opulente quidem sed ignobilis: nonne maiorum fortunam exaudisti?
2) Olim in el-Baqqa urbe rex Djadhîma nobilium suorum turbas convocavit, ut cum iis consilia sua communicaret.
3) Tum aliud, quam quod illi consulebant, non respiciens ad profectionem suscipiendam cingulo se induit.[4])
4) Eorum consilium sequens[5]) Kasîro restitit, qui saepius dicebat: „Utinam ille certo paruisset. (?)[6])
5) — Ut uxorem posceret illam, quae proditione fallaciaque usa est; sane insidiarum plenae sunt mulieres et exsecrabiles." — [7])

In his versibus fabulae, sicut postea narrabatur, ordinem interitumque regis improvidi miserum iam praesentimus; in iis cum Qasîr suasorem tantum videmus, Mutalammis poeta eum etiam ulciscentem introducit, his verbis usus:[8])

Ulciscendi causa Qasîr nasum suum mutilavit (et Baihas cum gladio morti se obiecit).

---

[1]) Masʿûdî III. 198, Kitâb-el-ʾAghânî XIV, 75.

[2]) Poeta Christianus, *H*îrae natus, qui cum camerae Persarum regis aliquamdiu praefuisset, *H*îrae Nuʿmân, filio Mundhir, consilio aderat; a calumniatoribus in carcerem coniectus indigna nece mortuus est (anno 582).

[3]) Apud Jâqût sub voce el-Baqqa, Kit. el-ʾAgh. XIV. 75, Masʿûdî III. 450 (valde corrupte); lectionum varietas permagna est, interpretatio satis incerta.

[4]) Non nisi apud Jâqût.

[5]) Lego: ʾamrahum.

[6]) Lego: samaʿa.

[7]) Vers. 5 sic apud Lane II. 762; fortasse ponendus est post vers. 2. Etiam Nahshal, fil. *H*arî, versu quodam (cf. apud el-Bakrî et sub el-Baqqa) se cum Qasîr comparat, quippe quod suis verbis repugnetur.

[8]) Poeta Christianus vero nomine ʿAbd-el-Masî*h* (et ʿAbd-el-ʿUzzâ) appellatus; de versu *H*amâsa I. 322. et aliter.

Cum certe inter tot proverbia a Masʿûdî, el-ʾAthîr aliis narrationi intexta multa a poetarum versibus desumpta sint, fabulam iam mature ea quidem forma, quam historici proferunt, fixam esse cognoscimus.

Quod illos quidem attinet, auctor satis antiquus, *H*amza-el-ʾJsfahânî haec narrat.[1] „Vita Djadhîmae ad regnum Sâbûr-el-ʾAshak pertinuit. Erat Djadhîma rex Maʿadd et partis el-Jaman ... Atque in extrema sua vita in Syriam cum invaderet, ʿAmr, fil. *T*arb (*D*arib), fil. *H*assân, fil. ʾUdhainae, regem ʿAmalecensem, patrem ez-Zabbae, interfecit. Quapropter haec paternum sanguinem in eo ulciscendum studebat tandemque eum morte affecit, postquam per 60 annos regnavit."

Auctor ieiunus, praesertim cum nihil de Qa*s*îr et ʿAmr, filio ʿAdî, proferat, non ita poetarum auctoritatem secutus esse videtur, quorum fabulas scriptores posteriores suis commentariis libenter innectebant. Iam Masʿûdî narratio verbis supervacaneis abundat, iam vero alii ex. c. el-ʾAthîr meram fabulam describunt. Quare circumcise, ut totum narratiunculae ordinem exponamus, rem perscribamus.[2])

Ez-Zabbâ, cui multa et diversa nomina scriptores addunt modoque eam ʿAmalacensem, modo Arabem, modo Graecam, modo *H*a*d*r, modo esh-Shaʾm et Mesopotamiae regis filiam nominant, patris mortem ulcisci constituit. Per aliquod tempus cum imperium tenuisset, intelligens vi armisque Djadhîmae parem se non esse dolo eum irretire conabatur.[3])

Nuntio ad Djadhîmam misso matrimonium simul et regnum Djadhîmae obtulit ea conditione, ut ipse eam visitaret. Cui cum in eo esset, ut rex adnueret, propinquus eius Qa*s*îr restitit dicens, illam, si ageret sine fraude, ipsam venturam fuisse; nihil autem aliud eam animo movere, quam ut patris interfecti poenas expeteret. Nihilominus rex imperium ʿAmr, filio ʿAdî, sororis filio, qui

---

[1]) p. 96—97.

[2]) Copiosiorem si quis fabulam desideret, eam apud Caussin de Perceval: Essay. t. I. legat.

[3]) Et pulchritudo et potentia valde praedicantur; expeditiones eius bellicas Masʿûdî (p. 198) memorat.

posthac rex factus *H*îrae sedem regiam perpetuam constituit, mandat et splendido comitatu itineri se committit. Traiecto Euphrate iam equites ez-Zabbae apparebant, qui dona se impertire simulantes repente in manum regis impetum fecerunt et levi opera comitibus pulsis regem captivum ad urbem reginae deduxerunt. Solus Qa*s*îr ille, qui celeritate equi el-ʿA*s*â vitam servarat, nuntium funestum dolumque reginae ad ʿAmr, filium ʿAdî, referre potuit.

Interea rex in conspectu ez-Zabbae, quae inimico venas perforari iussit, animam simul cum sanguine lente effudit.

Sed iam Qa*s*îr cum ʿAmr, qui statim rex creatus est, consilium ulciscendi Djadhîmae cepit. Ipse naribus se mutilat, tergum virgis caedit [1]) et quasi exsul ad ez-Zabbâm se confert, simulans propter perfidiam ab ʿAmr se regno esse expulsum. Regina, quae antea magorum consilio cryptam a palatio in firmam arcem ducentem foderat, ut praesidio, si periculum esset, uteretur, callidis eius verbis fallitur et paulatim, postquam Qa*s*îr bis modicis mercibus exstructus amplos thesauros ex itinere retulit, quos clam *H*irae collegerat, eum in familiaritatem accipit. Tum Qa*s*îr tempus ulciscendi venisse ratus loco mercium homines armatos, inter quos ʿAmr quoque erat, in saccis magnis abditos camelisque impositos in reginae urbem intromittit. [2]) Emolumentum itineris ut viseret, ubi ez-Zabbâ e palatio exiit et camelos plus solito oneratos aspexit, quam gravem materiam illi baiularent, admirata interrogavit, cum repente ʿAmr cum suis e saccis erumpit. Regina perterrita frustra in cryptam fugere conata ab ʿAmr ipso reiicitur, et ne ab hoste interficeretur, venenum ex anulo sugens mortem sibi consciscit. Quo facto ʿAmr victor in el-ʿIrâk redit.

Locum illius facinoris Tadmur urbem fuisse ex situ et tempore coniici licet; persuasum habeo primis scriptoribus hanc urbem ante oculos observatam esse. [3]) Deinde autem illa aliis urbibus, prae-

---

[1]) Cf. similis Zopyri agendi ratio, per quem Cyrus Babylonem occupasse dicitur.

[2]) Cf. similis in Shâhnâme narratio de prima Rustemi expeditione contra Sipend arcem inita.

[3]) El-Bakrî de regina ez-Zabbâ dicit: Aestate in Tadmur urbe, vere in en-Nikhâr (locus plane mihi ignotus) commorabatur.

cipue ea, cui nomen ez-Zabbae reginae erat,[1]) ad Euphratem sita commixta est. Masʿûdî cum dicat, urbes ez-Zabbae principales in ripa occidentali et orientali Euphratis sitas esse, sua quidem aetate ruinosas, specuque subterraneum ambas urbes coniungens saepe memoretur, dubitari vix potest, quin haec fabula aspectis duabus arcibus contrariis nunc Zalabijja et *H*alabijja (inter er-Raqqam et el-Dair) nominatis, orta sit.[2])

Romani et Aurelianus cum Arabibus et ʿAmr confunduntur; hoc maxime notandum est. Sed inscitia rerum Romanarum apud scriptores Arabicos fere generalis est, regum autem Arabicorum res cum et copiosius et luculentius tractentur, omnia in illo territorio facta facile iis affigi potuerunt. Lex ultionis gentes Arabicas adstringens vetabat, ne mors regis ʿAmr inulta maneret ideoque haec fabulae pars morte Djadhîmae expletur. Quod insuper maritus[3]) Zenobiae cum patre commutatur, factum inde videtur, quod ipsa illi in regno successit. Zenobiam et populum eius commercium exercuisse, ex historia Palmyrae pariter atque ex fabula elucet. Non minus, illo ipso momento, quo aufugeret, ez-Zabbâm captam esse, historia confirmatur. Addere postremum iuvat, ez-Zabbâm sive Zenobiam ultimam stirpis suae fuisse reginam neque ullum successorem habuisse.

Sed haec hactenus; iam ostendisse mihi videor, quam negligenter et obscurate non dico populus Tadmurenus, sed vel optimi rerum scriptores Arabici de factis praeteritorum saeculorum senserint.

---

[1]) Jâq. eam firmissime munitam describit, „ut aquila inaccessior sit".

[2]) Ez-Zabbâ et Zalabijja (de cuius ruderibus cf. Sachau: Reise in Syrien und Mesopot.) eadem videtur urbs, quae apud Procopium (de aedificiis II. c. 11) *Ζηνοβία* appellatur.

[3]) Coniux Odenatus anno 270 Emesae interfectus est.

This Book is Due